



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

In Capvt Tertivm Qvæstiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Respondeo ad hunc locum: multi crediderunt in nomen eius. Consensu omnium Caluinianorum aliorum non significare fiduciam, seu quam illi vocant fidem iustificantem, vt ex Caluino docet. Si enim est fiducia iustificans, ergo ex sententia Parei indelebilis, ergo electorum; cur ergo se Dominus non crederet?

Ex quo apparet quam malitiose & imperite scripturam allegent, sicut repugnant. Pareus absurdissime & ineptissime hæc verba de solo assensu interpretari vult, & de speciali fiducia intelligi. At Caluinus in hunc locum omnino aliud sentit. [Nunc, aut, queritur quomodo dicit Euangelista Christum nouisse omnes, eo sine solos designet, de quibus nuper loquutus est, an pertineat hoc ad vniuersum hominum genus. Extendunt hoc multi ad communem hominum naturam, ac putant hic damnari totum mundum impiiæ ac perfidæ simulationis. Et certe vera est sententia, nihil posse inueniri in hominibus cur illos Christus dignetur suorum numero. Sed ego contextui non video quadrare, restringo igitur ad eos quorum prius facta fuit mentio. Verum quia dubitari poterat vnde hæc Christo notitia, hanc quæstionem antici- pans Euangelista, respondet perfectum fuisse Christo quicquid in hominibus nos latet, vt posset iure suo inter homines discernere. Christus ergo, qui cordium est cognitor, monitorem opus non habuit vt scirent quales essent isti. Eo autem ingenio præditos, & eo animi affectu esse nouerat, vt merito à se alienos deduceret. Quod quidam rogant an non exemplo Christi suspectos etiam habere possimus qui suæ probitatis specimen nobis non dederunt, nihil ad præsentem locum facit, nostra enim ratio longe diuersa est: quia Christus ipsas arborum radices notas habebat: nos vero non nisi ex fructibus qui palam apparent, cognoscimus qualis sit vnaquæque arbor. Porro quum charitas (teste Paulo) suspicax non sit, de hominibus ignotis sinistre absque causa suspicari fas non est.]

Verum aduersarij modo veritatem oppugnant, quam id consequenter faciunt, non attendunt, crebro sortiuntur, quid loquantur. Interim Pareo Caluinum oppono. Ille lib. 3. Instit. c. 2. §. 12. Eos nec veram fidem habuisse, nec simulasse ait.

[His, inquit, quidem constat, quosdam non simulare fidem, qui tamen vera fide carent. Sed dum subito zeli impetu feruntur, seiplos falsa opinione decipiunt. Nec dubium est quin ipsos occupet socordia, ne cor suum probe, vt par erat, examinent. Tales fuisse probabile est, quibus (teste Ioanne) Christus seipsum non crederat, quum tamen in ipsum crederent: quia nouerat omnes, & sciebat quid esset in homine. Quod nisi à communi fide multi exciderent (communem appello, quia magna est similitudo & affinitas fidei temporalis cum viua & perpetua) non dixisset Christus discipulis; si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis: & cognoscetis veritatem: & veritas vos liberos reddet.]

VERSVS 25.

*Et quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*

QVÆSTIO I.

*An ex eo quod non erat opus, vt quis testimonium de Domino perhiberet, Christi diuinitas probatur?*

§. 1. **A**ugust. hoc loco, & Chrysoft. & Cyrill. cæterique omnes, nullo ferme excepto sic probant.

Proprium est enim Dei, corda scrutari. 3. Reg. 8. 39. Iob. 24. 2. Sic gentiles etiam Ioui suo tribuerunt, πέντε ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πέντε νόσους. Omnia videns Iouis oculus, omniaque cognoscens. Deus certe καὶ διο γὰρ ὁ γινῆσθαι est. Creator hominis multo melius scit, quid sit in opere suo, quam opus quid sit in se, Anima nostra tam multa extra se cognoscens, seipsam ignorat, non autem animæ artifex, qui in omnia eius penetrat.

C A P V T III.

**E**RAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudeorum. 2. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEVS cum eo. 3. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum DEI. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci: cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris sue iterato introire, & renasci? 5. Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus ubi vult spirat: & vocè eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur: & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixerò vobis cælestia, credetis? 13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. 14. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis. 15. Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, &

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

T dilexe-

dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum opera mala. 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius: 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. 22. Post hac venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudeam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim: quia aque multi erant illic, & veniebant, & baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. 25. Facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudeis de Purificatione. 26. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat. & omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego CHRISTVS: Sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsum oportet crescere, me autem minui. 30. Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. 33. Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat DEVS spiritum. 35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius. 36. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

## IN CAPVT TERTIVM

## ARGVMENTVM.

**D**varum disputationum compendium complectitur hoc quod praemanibus est caput. Christi cum Nicodemo, in qua ostenditur, quam sit necessaria spiritalis regeneratio, & doctrinae Christi praestantia explicatur. Simul significatur non esse nisi in Christo salutem, & quidem per fidem, eum exaltandum, ad hoc datum à Deo mundum diligente, ut filio proprio non parceret, & quidem vnigenito.

Altera Disputatio est Ioannis & discipulorum eius, quos ille de suo officio, & Christi maiestate instruit, se non esse Christum, sed illum, cui dederat testimonium, eum esse ipsam sponsum, illum augendum, eum Deum esse, in illum credendum.

A versu 13. vsque ad 21. legitur in Ecclesia Syria matutinis medij ieiunij. *הַיְיָ רַבִּי* *dephelhej* divisionis ieiunij, scilicet quadragesimalis. Inde ad finem, in oblationem encaniorum Ecclesiae, *דְּקִרְבָּא דְּחִרְרָא עֲרָא*, *decurba dechudath ebedtha*, quo ex titulo constat, in illa etiam Ecclesia encaniorum seu dedicationis Ecclesiae festa celebrata fuisse. Constat ex Nicodemo viro primario & sincero, quanta fuerit eorum in rebus ad salutem pertinentibus ruditas. Ex discipulorum Ioannis controuersia quanta in aestimatione ille fuerit, quamque humanae prauitatis prauiudicium obstat agnitioni veritatis, cum Ioannem tanti facerent, nec tamen eius se humiliantis testimonium recipere.

Magnas autem vires habuisse doctrinam Christi miraculis consignatam probat vnico, sed insigni exemplo. Nicodemus enim ex principibus Iudaeorum, & quidem secta Phariseus, impulsu veritatis venit ad Iesum, & Messiam esse confitetur, sed ne collegas offenderet, neque in odium occurreret, noctu venit. Opes, honor, nobilitas fidei impedimento sunt: maxime cum aduersa timentur, hic occultus est propter metum, at aliorum tot millia palam sequuntur, & baptizantur. Nicodemi nomen graecum est, qualia tum plurimi Iudaeorum habebant, & omen in nomine fuisse videtur, vicit enim non populum modo, sed etiam principes, nunc quidem clam Christum accedens, postea palam sepheliens. Syris vocatur *נִקִּדִּימָא* *Nicadimans*.

## VERSVS I.

Hic venit ad Iesum nocte & dixit ei:  
Rabbi scimus quia à Deo venisti  
Magister: Nemo enim potest haec  
signa facere quae tu facis, nisi fuerit  
Deus cum eo.

## QUESTIO I.

An signa probent à Deo venisse?

signa sunt s. i. **N**on temere se venisse vir grauis & doctus ostendit. A Deo enim venisse magistrum ex

eo concludit, quod signa illa non nisi Dei adiutorio facere posset. Mansit vero etiam inter Iudaeos diffidentibus semper id firmum, ac fixum, non esse doctorem, aut Prophetam nisi à Deo missum, quod nunc etiam Nicodemus tanquam certum statuit. Cyrillus & Chrysostomus eumque secuti Ammonius, & Theophylactus imperfectam Nicodemi fidem exultimant, solum enim magistrum à Deo venisse pronuntiant.

Hoc etiam probabile est; non enim dicit, venisti, sed *scimus*, & singularis ille magister, Messias scilicet, eodem modo ab absolute magister.

Id vero notandum est: quod numero plurali usus, dicat, *scimus*, Euidencia enim rerum conuicti Iudaei, quod contradicerent non habebant, nec tamen se Christo



eternam; fidei & regenerationis idem primum ponitur. Vita eterna, regnum celorum.

## VERSUS 4.

*Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris sue iterato introire & renasci?*

## QVAESTIO I.

*Quid sit renasci ex aqua?*

*Aquam negant esse aquam.* §. 1. Caluinus aquam hoc loco negat aquam esse, sed affirmat esse Spiritum sanctum. Et lib. 4. instit. cap. 16. per aquam & Spiritum, hoc est per Spiritum, qui purgando & irrigando fideles animas vice aquae fungitur. Bullingerus non rejicit expositionem eorum qui per aquam significant vitam aeternam, sed dubitat: Hinc Caluini amore, inde veritatis via proferenda sententia impeditur. Scharpius asserit, si aquam significat, aquam tum homonymiam esse in regno Dei, non enim significare vitam aeternam, sed Ecclesiam. Verum soluendo nodum stringit, si enim Ecclesia arceatur, multo magis regno caelesti. Nemo enim extra arcam, nemo extra Ecclesiam saluatur. Et iam ante demonstraui, regnum caelorum & vitam aeternam eodem modo hic accipi.

*Aqua Baptismum significat Lutherana.* §. 2. Magis ingenue Lutherani veteres veram aquam interpretantur. Brentrius homil. 25. cum ait, Baptismum per aquam intelligi. Quamuis nomine Baptismi totam Euangelij doctrinam accipiendam putet; quod falsum est, aliud est Baptismus, aliud doctrina Euangelij. Quemadmodum aliud baptizare, aliud euangelizare. Paulus se non ad baptizandum sed euangelizandum missum à Deo protestetur. 1. Cor. 1. 27.

Causa tam nouae quam absurdae opinionis, est Calvinianis, ne concedere cogantur agi de baptismo, si enim concedant sermonem esse de baptismo, eius etiam necessitatem indicare fatendum est. Hic tamen aquam proprie & baptismum accipiunt veteres omnes. Nullo omnino excepto, ut ex sequenti disputatione plenius intelligitur. Ratio id ipsum suadet: alius enim in scriptura locus nullus est firmus, quo pro baptismo probemus, nisi ille quem hic tractamus, sed de necessitate alia est disputatione.

## VERSUS 5.

*Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

## QVAESTIO I.

*An necessarius sit baptismus?*

*Quid ad iustificationem requiratur.* §. 1. Multo apertius Scriptura ad iustificationem baptismum quam fidem exigit: nisi quis renatus fuerit. Respondet Pareus lib. 1. de iustif. cap. 16. [Scripturas requirere poenitentiam & sacramenta

ad conuersionem, regenerationem, & salutem peccatoris (licet dispari necessitatis gradu) Verum est: & hoc allegata docent. Requiritur vero ad iustificationem peccatoris, quae est remissio peccatorum, aliter non docent, & est falsum. Hanc enim accipere est solius fidei proprium.]

Respondeo: peruersam & impiam doctrinam esse, & sibi repugnantem. Sic enim poenitentia & sacramenta ad iustificationem necessaria non sunt, nec ergo ad conuersionem, regenerationem & salutem. Adhuc enim omnia sufficit iustificatio. Si iustus es ex peccatore factus ante poenitentiam, certissime saluus eris ex Caluiniana haeresi, quae iustitiam ita indelebilem esse docet, ut nulla scelerum atrocitate, nulla multitudine amitti possit. Deinde iustificatio, quam illi falso sola non imputatione definiunt, sine regeneratione esse non potest, regeneratio sine poenitentia esse non potest. Ergo nec sine poenitentia iustificatio. Quod vero necessarium est ad tertium, necessarium est ad id, quod sine tertio esse non potest. Si Sol necessarius est ad florem, etiam necessarius est ad fructum, qui sine flore nasci non potest. Baptismus autem esse necessarium ad remissionem ex eo constat, quod act. 22. 16. dicitur: *Baptizare & abluere peccata tua in nomine ipsius.* Vana igitur illa est distinctio. Verum ex ipso facile ostendit ipsi sibi contradicere. Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 4. probat gratia habituali vos iustificari. Præterea, inquit, *Baptismus non quomodocunque iustificat, sed per modum regenerationis, sicut enim legitur Ioannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & ad Titum tertio: saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. At regenerari non est aliquid agere, sed nouam naturam, & diuinam ac supernaturalem formam accipere, unde filij Dei nominemur & similes: iustitia igitur, quae per Baptismum acquiritur, non est actualis, sed habitualis, quae per modum forme in anima inheret, eamque ad esse quoddam diuinum & supernaturale uehat.* Hinc ipse apponit: *Rursus propositio falsa, quia præter actualem & habituales iustitiam datur tertio sine actu vel habitu, imputata seu fidei: ideo nihil sequitur.*

Regeneratione Baptismi ut ille sentit, non acquiritur iustitia actualis, nec habitualis, sed tertia imputata seu fidei; Baptismus igitur requiritur non ad gratiam aliquid inuisibilem, sed ad gratiam fidei, seu non imputationem peccatorum, hoc est, remissionem.

Beza dubitat an de Baptismo agatur, & respondet tamen ad Catholicorum argumentum. [Si aqua nomine Baptismus specialiter intelligatur, ut qui peculiare sit nostrae regenerationis sacramentum, sic accipienda est hæc sententia, ut respexerit Christus communem Ecclesiae ordinem, & neque tamen simpliciter gratiam Dei adstrinxerit baptismi Sacramentum, quasi sit absolute & sine exceptione necessarium, quum mox regeneratio spiritui, nulla facta aqua mentione, attribuitur, & idem alioqui sit statuentium de manducatione carnis, & potu sanguinis Christi infra 6. 53. idem etiam multo magis de fide actuali dicendum esset, ex Marc. 16. 16. & Heb. 11. 6. Sic quoque fides omnis erit ex auditu ex Rom. 10. 17. quae omnia cum absurdissima sint, omnino extra metas excurret alicubi Augustinus defendendae aduersus Pelagianos veritatis studio abreptus: quod est etiam postea distinctionibus aliquot ab ipsis Scholasticis mitigatum.]

At verba Christi clariora sunt, quam ut faciem illi patientur. Regenerationem ex aqua & Spiritu sancto Christus requirit, ideo baptismum necessarium ponit.

Recent

Recentiores Caluiniānī eas consequentias habent, vnde facile deducere liceat baptismum eos necessarium putare, licet aliqui negare soleant. Schapius in cursu Theolog. de baptismo controuertit. i. infantes probat baptizandos hīc verbis, argumento 8. [ Si infantes possunt saluari Matth. 19. 14. & si nihil impurum ingreditur regnum cælorum Iohann. 3. 5. & 5. Apocal. 21. 27. & si infantes sunt polluti. Psalm. 51. 7. Rom. 1. 14. tum infantibus non debet denegari purgationis & regenerationis symbolum: at prius locis citatis, Ergo.]

Itaque sine baptismo impuros putat infantes, si impuri, igitur cælum ingredi non possunt. Quod si nostrum argumentum firmum non est, labascit & caluiniāni hominis, & ostium aperitur Anabaptismo.

§. 2. Aquam autem ad regenerationem pertinere nos Petrus docet, dum vocat lauacrum regenerationis. Regeneratio autem iustificacionem complectitur. Ratio vero nulla erat, cur aquam nominaret, si de baptismo non agebat. Cur autem Spiritum sanctum nominaret, & eundem aquam diceret?

§. 3. Olim quoque contra necessitatem baptismi disputabant apud Cyprian. Epist. 72. ad Lubianum. Quo in loco quidam quasi euacuare possint humana argumentatione, predicationis Euangelicæ veritatem, catechumenos nobis opponunt, si quis ex his antequam in Ecclesia baptizetur in confessione nominis apprehensus fuerit & occisus. an spem salutis & premium confessionis amittat, eo quod ex aqua prius non sit renatus. Sciant igitur huiusmodi homines suffragatores & fautores hereticorum, catechumenos illos primo integram fidem & Ecclesiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis castris cum plena & sincera Dei patris, & Christi, & Spiritus sancti cognitione procedere: deinde nec priuari baptismi sacramento, vti pote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo, de quo & Dominus dicebat, habere se aliud baptismum baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & diuina pollicitationis gratiam consequi, declarat in Euangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & consistentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso pollicetur.

Eadem est aliorum etiam sententia, Tertullian. lib. de baptismo. Hild. Psalm. 118. Augustin. lib. 15. de Ciuit. capite 7. Retract. 2. cap. 18. vbi tamen exemplum Latronis non fatidonecum putat. Fulg. libro de fide ad Petrum cap. 3. Rabanus libro quarto de vniuerso. cap. 10. Bernard. Epist. 72. ad Hugonem.

Tertulliani hoc vetustissimo tempore ea erat Ecclesiæ sententia vtex hoc loco baptismi necessitatem probarent. Quam vero præscribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex ille maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam, suboriuntur scrupulosi immo temerarij retractatus quorundam, quomodo, ex ista præscriptione Apostoli salus competat, quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum. Immo quum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de cætorum periculo, qui careant aqua Christi, vt præscriptio salua sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salua statuta est. Audiui, Domino teste, eiusmodi, ne quis tam perditum existimet, vt vltro exagitem libidinem stultit, que alijs scrupulum incutiat. Et nunc illis, vt poterō respondeo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & dominicum desiderabant, quatenus vnum baptismum desinierat ipse Dominus in Euang. Tom. II.

minus, dicens Petro perfundi nolenti, Qui semel lauit, non habet necesse rursus, quod vtiq; non tincto non omnino dixisset: & hæc est probatio exerta aduersus illos, qui adimunt Apostoli etiam Ioannis baptismum, vt destruant aqua sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini non preparatam, id est, baptismum Ioannis, que ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus nullus penitentia debitor tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo alij tincti non sunt? Non tamen comites Christi, sed emuli fidei, legi Doctores & Pharisæi. Vnde & suggeritur, quum aduersantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum amulis suis sapuisse, maxime quando Dominus cui adhaerebant, testimonio Ioannem extulisset. Idem docet Augustinus Epistol. 108. Augustinus hanc per aquam regenerationis necessitatem demonstrat. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. capite 16. Ex hac igitur imobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, vt non solum ad regnum Dei perducatur, verum etiam a peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato & morti primi hominis obnoxij nascuntur in carne, & simul iniustitia, vitæque æterna secundi hominis sociati renascuntur in baptismo. Cytillus catech. 3. Per aquam dari gratiam ait, in eo etiam sacramento remissionem peccatorum constituit. Anastasius Sinaita libro 5. Ex aquis genitas gentes per baptismum regeneratas.

§. 4. Porro perire sine baptismo paruulos ex ferpentis similitudine docet Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione. capite 27. Oportet autem vt si natus fuerit, renascatur, quia nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Oportet igitur vt sacramento regenerationis, ne sicut illo male de hac vita exeat, etiam paruulus imbuatur. Quod non fit nisi in remissione peccatorum: quod etiam ipso loco Christus ostendit, cum interrogatus quomodo possent ista fieri, commemorauit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cum igitur itaque per baptismi sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos a serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christiana fidei regula nolimus aberrare. Quem tamen morsum non in sua vita propria, sed in illo cui primitus inflictus est, acceperunt. Eandem sententiam probat etiam ex Cypriano lib. 3. de peccatorum meritis & remiss. capite 5. Quantum vero, inquit, ad cassam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt constitutos, baptizari non oportere, & considerandum esse legem circumcisionis antiqua, vt intra octauum diem eum baptismum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensus, sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato, misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Euangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare: quantum in nobis est, si fieri poterit, nulla anima perdenda est. Subdit Augustinus. Aduertisne quid dicat, quemadmodum sentiat, non tantum carni, sed anime quoque infantis exitabile esse atque mortiferum sine illo salutari sacramento exire de hac vita. Vnde si iam nihil aliud diceret, intelligere nostrum fuit, sine peccato animam perire non posse. Sed vide paulo post defendens innocentiam paruulorum, quid tamen de illis aperitissime fateatur.

Paruuli  
Valde autem vrget Augustinus Cyprianum maiorem fiduciam ex antiqua & indubitata fidei regula locutione qui, & ex ea dubitationem de octauo die dissolueret regenerationis per-  
addit ille nunquam se audisse in Ecclesia sine peccationis per-  
to nasci eant.

to nasci paruulos, ex quo & illud vt indubitatum infert, sine sacramento regenerationis peirre.

§. 5. Obijcit Calvinus. [Etiam si demus Christum hic loqui de baptismo, non tamen sic virgenda sunt verba, vt salutem in externo signo includat: sed ideo potius aquam spiritui adiungit, quia sub illo visibili symbolo quam Deus Spiritu suo vitæ nouitatem solus in nobis efficit, testatur atque ob-  
signat.]

Respondeo. Salutem nostram non includi signo, sine signo tamen non conferri, per ipsum signum, vt causam instrumentariam dari. Non includit, non alligat virtutem uiam rebus ipse creator, sed quod sua sola potentia pollet, id opera creaturae efficit.

Ex aqua renascimur & Spiritu sancto. Aqua igitur etiam causa est renascendi. Iacobus Andreas Lutheranus ita definit. [Est, inquit, organum & instrumentum per quod in sanguine Christi virtute Spiritus sancti à peccatis absoluiur, regeneramur, renouamur.] Neque id negare se Beza in respons. ad acta proficitur. [Deus bone, quo tandem homines abripit rixandi libido: Num enim, quæso, organum siue instrumentum esse negamus aquam baptismi, quam illam esse dicimus signum visibile diuinitus ordinatum, quo menti nostræ representatur verus ille pro nobis effusus sanguis, non vt inane spectaculum, sed vt eius per fidem apprehensione, & spirituali applicatione, tum remissio peccatorum, tum imaginis Dei renouatio in nobis respiciantur.]

Beza instrumentum agnoscit.

§. 6. Occurrit tamen Calvinus apud Matth. 3. ii. dici baptizaturum Christum Spiritu sancto & igni. Non est ibi verus ignis, nec ergo hic aqua. Sed ignis qui ibi vocatur, non est ipsum Elementum, sed Spiritus Sanctus.

Retorqueri hoc argumentum validissimè potest. Cum enim promittit fore vt baptizentur Spiritu sancto, & igni, de solenni Spiritu sancti aduentu intelligit, vbi in igne datus est Spiritus Sanctus. Quemadmodum igitur eo tempore, & Spiritus Sanctus & symbolum eius dictum est, ita & hic de Spiritu sancto, & aqua agitur. Ignis ille seu Lux externum symbolum fuit, ita & hoc loco aqua, hoc est elementum cum Spiritu Sancto coniungitur.

Multa hereses contra baptismum.

§. 7. Mira est Sathanæ ad baptismum oppugnandum astutia; iam olim eius necessitatem Cæcilianiani negarunt. Epiph. hæres. 18. Archontici hoc sacramentum protius contempserunt, idem Epiph. hæres. 40. in sola cognitione etenim redemptionis, & iustitiæ perfectione collocarunt. Secuti sunt deinde Manichæi, Massaliani, & deinceps Pelagiani, Theopassitæ, Machometani, Albanenses, Petrosuffiani, Pseudoapostolici, Albigenes, Flagellantes, Wicleffitæ, aliique, vt mihi impudentes videantur Hæretici, qui talitæ tamque infami societate in errorum suorum colluue gaudent, ex quorum condemnatione totius Ecclesiæ sententia per feriem omnium sæculorum ad nos deuenit. Non tamen in omnibus par sacramenti contemptus fuit.

Pelagiani paruulos renasci non liberari peccato.

Pelagianorum quidam paruulos egere baptismo fatebantur, non vt à peccato liberarentur, sed in Christo renascerentur. ita Augustin. lib. i. de peccat. merit. & remiss. cap. 18. Sed illi mouent, & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur asserre, qui dicunt paruulos recenti vita aditos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum; sed vt

spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni celorum participes fiant, eo modo filij & heredes Dei, coheredes autem Christi. Quos Augustinus refutat, quod sequeretur non esse Christum pro illis mortuum; nam pro solis impijs est mortuus. Illis ægritudine carentibus non esse opus medico. Quæ apud eum legi possunt.

Contra eandem hæresin disputat idem Augustinus de verbis Apost. ferm. 14. probatque inter beatos & damnatos non esse medium infantium statum.

## QVÆSTIO II.

An votum baptismi sit dispositio ad iustificationem?

§. 1. Bellarmin. lib. i. cap. 14. de iustific. probat desiderium Baptismi esse dispositionem ad iustificationem. Cum enim illud sit medium ad salutem necessarium, voluntas eius suscipiendi in eo qui saluati velit, sit necesse est. Patet concedi potest esse dispositionem ad conuersionem, & salutem, non ad iustificationem. At conuersio ad Deum est ipsa iustificatio, aut si aliter accipias, est actus quem iustificatio consequitur.

Fruolium porro est, quod obijcit Simonem Magum baptismum petisse, nec tamen dispositum ad iustificationem: cum Petrus eum baptizatum excreetur. Non est tibi pars in verbo hoc, quia cor tuum non est rectum, &c. Et Iudaus ille veterator apud Socratem, qui Christianam fidem simulans pecunia confluente gratia sequi desiderauit & accepit baptismum, num dici potest fuisse dispositum ad iustificationem? Simonem non modo dispositum, sed etiam iustificatum credimus. Credit enim & baptizatus est. Certe dispositus fuit ad iustificationem cum credit. Iudaus ille apud Socr. lib. 7. cap. 17. desiderio baptismi ad maiorem nequitiam dispositus fuit. Nos de eius desiderio loquimur, qui sincere, ex lege Christiani, & fide baptismum suscipit, non de illorum improba impostura, qui baptismi profanatione auaritiæ seruiunt. Nequior autem Iudæo impostore est, qui ideo rectam voluntatem Cathæchumenorum ad baptismum anhelantium, atque in Ecclesiam ingredi cupientium, negat dispositionem esse ad iustificationem: quia hypocritis & simulatio sacramento abutentium, non sit dispositio. Iudæi fallacia, ne ad conuersionem quidem & salutem dispositio fuit: quod tamen sincero desiderio mediorum aduersarij concedit.

## QVÆSTIO III.

An hinc Hæreticorum baptisma damnatur?

§. 1. Nemesianus baptismum hæreticorum damnatum à Christo existimauit: sed respondet Augustin. lib. 6. de baptismo contra Donatistas. cap. 11. 12. Iam vero quod Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, quod enim adiuues ad id quod putat, omnino non video. Aliud est enim omnis qui intrabit in regnum celorum prius nascitur ex aqua & spiritu, quia nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum celorum: quod utique falsum est. Nam & Simon ille magus natus erat ex aqua & spiritu, & tamen non intravit in regnum celorum. Sic fieri in regnum potest vt hæreticis etiam contingat. Aut si non nasci in regnum ex spiritu, nisi qui veraci conuersione mutatur, omnes celorum

quis seculo verba & non factis renunciant, non vique de spiritu, sed ex aqua sola nascitur, qui tamen & intus Teste Cypriano sum. Necessè est enim ut vnum de duobus concedatur: aut illi qui fallaciter saculo renunciant, nascuntur de spiritu, quantum ad perniciem, non ad salutem; atque possunt & heretici: aut si illud quod scriptum est: Sanctus enim Spiritus dissoluit effugiet factum, etiam ad hoc valet ut fallaciter seculo renunciantes, non nascantur de spiritu, potest quis baptizari aqua, & non nasci de spiritu.

Qui igitur lubens volens hereticorum confortio, & baptismo sese ablui permiserit, spiritu non renascitur repugnante peccato. Si quis infans, vel infans baptismum eorum suscepit, spiritu renascitur. Quia sacramentum Domini non euacuat infidelitatis ministrum.

QVÆSTIO IV.

An anima per aquam regeneratio, eam ostendat esse corpoream?

S. I. N Ecdum peruersarum interpretationum. Tertul. lib. de anima; animam corpoream docuit. & Vincentius Victor, ideo baptismo probare conabatur, ut est apud August. lib. 2. de anima & eius orig. ad Petrum Presbyterum: Non videtur, inquit, animam ex carne peccati contrahere viciositatem, ad quam vicissim sanctificationem videas transire per carnem, ut per ipsam repararet statum, per quam perdidit meritum? Aut nunquid quia baptismo corpus abluatur, non transit ad animam vel spiritum, quod creditur conferri per baptismum? Merito ergo per carnem, priscam reparat viciositatem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, ut per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.

Plures tamen videtur ille cumulat errores. Nam animam ante corpus habuisse statum aliquem & meritum, arbitrat. Deinde habuisse viciositatem antiquam, seu statum laudabilem.

Ut verbo breuiter respondeamus: constitutum est, eadem prorsus argumentandi ratione consequi, nec sanguine Christi, nec passione illius animam nostram expiari, cum Spiritus sit, sanguis autem corporeus. Non possunt corpora suapte vi & efficacia in spiritu agere, possunt autem Dei omnipotentia illis virente. Quomodo alio loco contra Calvinistas dictum est.

QVÆSTIO V.

An baptizatus sit de salute certus?

S. I. A lius etiam error est Lutheranicorum. Qui ex eo quod baptizati sunt, certitudinem sine fiducia speciale habere se putant: ita in colloq. Mompel. p. 471. Iacobus Andreas. Argumentum est. Nisi quis renatus sit ex aqua & spiritu Sancto non intrabit in regnum celorum, ego renatus sum. Intrabo igitur.

Respondeo. Hoc in discursu diligentissime quædam esse perpendenda. Primum Lutheranicum illum, ut se vocabat Papam, in hoc toto pectore incambentem, vt consoletur suos, hoc est, ita coniecit, vt certo illis persuadeat, ipsos fore saluos, nulla peccata ob stare posse. Secundum, tam Lutheranos quam Calvinianos contra illam certitudinem grauissimas habere dubitationes, vt constabit ex illis, quæ ex Beza mox adferam. Tertium. Lutheranos alio vti argumento ad certitudinem securitatemque stabilendam, alio Calvinianos. Quartum. Vnicum & solum argumentum Lutheranicorum esse. Baptizatus esse electus est ergo, igitur & saluus eris. Nam vt Da-

uid omnem consolationem ponit, & spem certissimam in circumfusione, nullam in vltio alio: ita & Lutherani. Deinde concludit: Nullam in eo nobis consolationem relictam esse, & relinquit, si vera est vestra doctrina de baptismo, quod non omnes baptizati in filios Dei adparentur.

Omnes igitur consolationes, omnia argumenta excludit. hic, & pagina 473. hoc argumento dæmoni insultat. Recede à me Satan, nullam partem in me habes, quia in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatus, & vere in filium Dei adoptatus sum. Quod firmissima fide credendum mihi est, nisi totam Trinitatem mendaciter arguere, & acceptum Baptismum otiosam ceremoniam & ludibrium fuisse, dicere velim.

Idem videtur pag. 480. & pag. 481. profretur, Calvinistas, qui tantum probabilem salutis spem ex baptismo concipi posse docent, manifeste ad desperationem, perturbatis conscientis, fenestram aperire.

Quintum. Lutheranos argumentum Calvinianorum omnino reicere. argumentum Calvinianorum est. Bonos motus, sensu aut sentiam, electus igitur bonus motus, & confors salutis æternæ. Hoc desperationem adferre docet Iacobus Andreas pag. 471. Quomodo igitur prægitur talis conscientia erigi potest? Si enim ad illos motus in æternos Spiritus Sancti remittatur, quos in se non sentit, sed in contrarios: desperatio augetur, non minuitur. Et pag. 481. Pios ait ex motibus bonis nihil posse statuere, quia non modo nullos sed etiam contrarios sentiunt. Et pag. 482. firmiter demonstrat, dubium esse homini qui nullos bonos motus senserit, an sensurus sis, ideo inanem esse illam consolationem.

S. 2. Quod ad Calvinianos atinet, eos nunc mitto. Lutheranos constat ex baptismo certos esse non posse. Ideo quicquid clamitent de certitudine, omnia illa certa, cum ad veri normam ventum est, redit in incertissima. Nam primo dicitur; neminem, qui certi non renatus fuerit ex aqua & spiritu posse introire in sine regnum celorum: non autem omnes qui sic renati fuerunt, intraturos; concedunt enim multos à nouitate Spiritus deficere, & in carnis vetustatem relabi.

Quin ipsi fatentur, Saullem circumcisum egregium Spiritus Sancti donis exornatum, sed recessisse ab eo Spiritum Domini bonum, exagitatam à malo. p. 475. Simon Magus credidit & baptizatus est. nec tamen de salute certus fuit, quam nunquam consecutus est. Recte August. Tract. 6. in Ioann. Baptisma, quid illi (Simoni mago) proderat? Noli ergo gloriari de baptismo, quasi ex ipso salus tibi sufficiat. Nonne quotidie Lutherani vident à se baptizatos in Calvinismum prolabi, aut etiam ad Orthodoxam Catholicam fidem accedere, quos tamen perire illi iudicant? Non est ergo hominis nisi incogitantissimi, ex ea re securitatem sibi promittere, cum qua tot alii in exitium præcipitati sunt, non culpa baptismi, sed quia bene loci, & candidati ad antiquum spurcitarum suarum volutabrum redierunt. Fortiter Beza in respon. ad acta Momp. p. 65. hunc illis torporem excutit. [Sed hoc etiam omni-

so & concessio quod in baptismo postulat D. Andreas tentatus quispiam, auctore Satana, annon egregium consolatorem suo ipsius argumento repulerint? Esto D. Andrea, quod tu dicis, Fui in baptizatus, & tunc adoptatus, quum tamen dicas firmam hanc non esse gratiam, sed ab ea excidere me potuisse, vel sane excidisse me sentio, annon quod vna manu mihi videris tribuere, altera mihi tutem eripis? Quorsum igitur hæc tu mihi suggeris, quæ me non modo non subleuent, verum & contrario detestandam meam ingratitude mihi magis a magis spectandam proponant?]

Vertical text in the left margin, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Vertical text in the right margin, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Cum igitur vnum illud vnicuique fiduciationis & certitudinis fundamentum omnino nullum sit. Constat inani confidentia Lutheranos inflari, cum homines sint, & quotidie labi possint gratiamque amittere.

*Impostura  
ministro-  
rum.*

§. 3. Labet hic conuenire aliquem ex istis, qui sub omni cubito puluillos collocant, & quaerere. An tu hunc puerum, quem vere & vt tu putas, sancte baptizasti, saluum fore credas? Respondebit sine dubio: Diabolo insulsandum, ideo quod vere in filium Dei adoptatus sit. Ita enim ministrum sincerum loquentem induxit Iacobus pag. 483. [Tu es (inquit) sincerus

*Concio  
confiden-  
tialis.*

” Ecclesiae minister in nomine Sanctae Trinitatis baptizatus infans, & in filium Dei vere adoptatus. Qui Deus verax est, & promissionum suarum seruans, vt si nos negauerimus, ipse se ipsum negare non potest. Quapropter non dubites, baptismum acceptum, esse oblationem veram adoptionis, qua non per aquam significetur, sed vere tibi in infantia collata est. Quare nihil dubites, te iam esse filium Dei electum & Christo insertum per Baptismum, quate in tentationibus non relinquet, sed ex illis omnibus te certo eruet, de quo tu minime dubites. Non enim tibi mentietur sancta Trinitas, quae in Baptismo tibi suam gratiam promissit, obtulit, exhibuit, & obsignauit. Quare dicas Diabolo: Vade post me Satan, nullam partem in me habes. Scio mihi affuturum Christum Salvatorem, cuius sanguine in Baptismo ablutus ab omnibus meis peccatis. ] Hinc igitur a te baptizato olim, & in adulto, & tentato sic baptismi gratiam inculcas. Verum hoc quaero, an tu quoque sic existimes, eum vere filium Dei electum, non descendendum, ideo quod Deus se negare non possit, quod SS. Trinitas quae salutem illi promissit, mentiri non possit? An inquam tu, qui haec illi dicis, & credere iubes, idem etiam sentias illum electum esse? an forte dubites? Dubitare te certo scio: nec enim de aliena fide, aut mente quicquam tibi constare potest. Deus solus rex animorum est, & cognitor; quod si etiam certis signis praesentem in eius animo gratiam coelectedas, de futura perseverantia certus esse non potes. Dices igitur quod Beza de puero recens baptizato, pag. 484. Ego quidem omnes bene sperare iubeo; sed non sum propheta, vt possim praedecere, hunc puerum fore virum bonum. Nam Iacobus respondet. Neque opus est. Quoniam gratiam Dei in Sacramento percipiam, &c. Quod si igitur ipse de exitu pueri baptizati, & salute dubitaret, cum plures videas ambulare per vias dealbatas saeculi, cur illi persuades verum esse, quod tibi dubium est? cur illis blandiris, cum aliter sentias? Hoc est homines ex stultis insanos reddere.

*Tubent a-  
lium cre-  
dere, de  
quo ipsi  
dubitant.*

*Prauitas  
ministro-  
rum.*

Solent parasiti diuitum arbores, & irrisores, inflare homines superbos, vt de se credant magna & splendida, quae maxime eos ridiculos faciunt; Alexandero persuadebant Deum esse, ipsi stolidum iuuenem esse sciebant. Quin eo ventum est, vt non desissent, qui aliquos in caelum euntes a se visos peierarent. Multo fortius Pseudoeuangelici Gnathones infertimis hominibus illudunt. Accedunt, consolantur, filios Dei electos esse praedicant, si ex illis quaeras; Verane censeant, quae tanto conatu, & ambitione narrant: Respondent nescire se ater an albus sit, Dei, an daemone, sed consolari eos, & dubia pro veris adferre, quod proprium est adulatorum. Perinde ac si alicui persuadere aggrederer cinem Romanum eum esse antiqua Scipionum, aut Fabiorum gente oriundum ad Sceptra etiam Romani Imperii euehendum. Interim ignotarem, Wandalusne, an Indus esset? Rutilus an Paeus? Cræsus, an Irus moriturus sit? Quis ambigat indignis modis homini misero me il-

ludere, nec illo quicquam fore vanius, aut stolidius, si mihi dubitanti, & coniectanti credat? Et haec tamen fabula à tot Centuriis ministrorum grauer peragitur; vt mirer ministrum, si alium videat ministrum, non ridere imposturarum & nequitiarum conscium.

## QVÆSTIO VI.

*An Spiritus Sanctus sit pars Baptismi?*

§. 1. **A**lia quoque haeresis Iacobi Andreæ eisdem Spiritum Sanctum facit, partem baptismi. Substantia baptismi constat aqua & Spiritu. & pagina 440. Aquam & Spiritum Sanctum vocat substantia baptismi. & pag. 441. liberius elementum Spiritum includit. Spiritus Sanctus tanquam principalis & substantialis pars (si ita loqui licet) in verbo comprehensus & inclusus est.

Respondeo: Nunquam ita loqui licet. Est enim Deum blasphemia; partem sacramenti dicere Deum, qui est sacramentum institutor, in illo principalis factor, Ex Spiritu Sancto regeneramur, sicut ex Deo generamur, tanquam auctore naturae & gratiae.

Organo vt voluit baptismum, non potest ille esse baptismi pars. Manichaeorum deliramenta sunt, creatorem facere partem alienius creaturae. Et proprie quidem ille Spiritum Sanctum accipit, & proprie partem substantialem, seu integram. Nam pag. 439. Effectum, qui est regeneratio, docet, non esse cum substantia baptismi, quae aqua & Spiritu constat, conferendum.

## VERSUS 7.

*Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo.*

## QVÆSTIO I.

*An baptismus sit absolute necessarius adulto?*

§. 1. **T**empore Bernhardi (Ep. 77. ad Hugonem) haec verba eum in modum quidam interpretatus est, vt sine baptismo negaret quoniam saluaretur, quantumvis idem, charitatem, continentiam, voluntatem baptismi haberet. Quam haeresin etiam Tridentinum damnauit. Alii quoque obligationem baptismi iam tum, non post resurrectionem, incepisse dixerunt. Pelagiani apud Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 30. ne paruulos concederent habere peccatum, & tamen baptismum illis necessarium esse non inficiarentur, illos conueniunt vitam aeternam concedebant, non regnum Dei, sine causa inter ista distinguentes. de quibus supra dixi. Itaque recte Bellarminus lib. 4. cap. 4. de remissione gratiae, & statu peccati, hinc probat peccatum originale: manet enim quia semper fuit; ita Augustin. 6. in Ioan. cap. 12. consentiunt etiam haeretici, ex hoc loco probari hoc ipsum. Pareus lib. 4. de baptismo cap. 7. de amissione gratiae, &c. [ Qui necessario debent baptizari, si sunt peccato inquinati & impii mundi. Omnes Christiani infantes vel adulti necessario debent baptizari. Omnes igitur Christiani, si infantes vel adulti sunt peccato inquinati & impii mundi. Infantes igitur habent vel actuale vel originale peccatum. Non actuale: originale igitur. Propositio a: gumenti nititur sine baptismi: quia baptismus datur in remissione peccatorum: Mar. 1. 4. & 16.

§. 16. Item: Qui baptizantur, moriuntur peccata & resurgunt, vt in nouitate vite ambulent Rom. 6. 4. Sepulti cum Christo per baptismum in mortem, &c. Item: Qui baptizantur, mundantur & lauantur a peccatis, & regenerantur in nouam vitam. Ephel. 5. 26. Christus mundauit Ecclesiam suam laqueo aquæ in verbo. Tit. 3. 5. Per laueturum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti. Act. 22. 16. Surge, baptizare, & abluere peccata tua, &c. ] Minorem Bellarminus probat aucto. it. Dionys. Orig. Cyprian. Hieron. Augustini, Siricii. Deinde hoc loco: Nisi quis renatus fuerit. Nam si omnes regenerandi sunt, etiam infantes regenerandi sunt, omnium enim nomine continentur.

In peccato igitur sunt; regenerationis autem modus præscribitur, ex aqua & Spiritu Sancto.

Quod si sacramentum petentibus ob causam aliquam non potest administrari, in voto saltem esse oportet. Quod votum cum infantibus desit, sine baptismo non regenerantur. Adultorum baptismus, cum vel impossibilitas, vel articulus necessitatis excludit, si voto non desit, vt Theologi docent, a vita non excludit.

Quedam exemplaria habent, oportet, vt nos nasci denotet, quod nullo modo probandum est, Christus enim ipsa generatione sanctus fuit, & regeneratione non egebat.

VERSUS 6.

Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.

QUESTIO I.

Quid caro?

§. 1. Nicodemus, quæ Christus de *πνευματικῆς* seu regeneratione, locutus est, propriè de generatione carnali accipiebat, Christus eam illi opinionem eximit: se de spiritali generatione locutum. Nam quod nascitur ex carne seu homine carnali, nascitur ex lege & more humani generis peccato inquinatum, ideo caro est: homo carnalis, peccator à Deo alienus, exors regni cælestis, quod caro & sanguis non possidebunt. 1. Corint. 15. 50. Qui autem ex spiritu, seu ex Deo nascuntur, illi spirituales sunt, regniti, veterem hominem exuti, de hac regeneratione se loqui Dominus asserit, non de carnali. alioqui & Christus ex carne natus est, & ipse caro, sed propriè & physicè accepta significatione carnis: non pro homine peccatore.

§. 2. Calumnia est Caluini, Theologos Catholicos, per carnem tantum vnicam partem, hoc est, sensualem intelligere. Totum enim hominem interpretantur, in Adamo corruptum, cui proinde opus sit noua genitura. Quod vero ipse ait: [ Nouitiam enim Dei, qualis nunc hominibus restat, nihil aliud est quam horrenda idololatriæ & superstitionum omnium scaturigo: iudicium in rerum delectu & discrimine partim cæcum ac præposterum, partim mutilum & confusum: quicquid industriae habemus, in vanitatem & nugas defluit: voluntas autem ipsa furioso impetu præcox, tota ad malum rapitur. Itaque in tota natura nulla re cæcitudinis gutta superest. ] Hoc inquam falsum est, & Manichæum. Non enim ita mali sunt homines vt nihil sit in illis boni, damnatorum & dæmonum est ille furor, non eorum, qui ad huc ad pietatem eruditi possunt. Hinc originem ha-

bet horrendus eorum error, qui omnia in homine peccata esse, & facultates, & opera censent; quorum etiam nonnulli, vt Flaccus Illyricus, ipsam substantiam appellant peccatum originale.

Tertullianus lib. de carne Christi & contra Praxeam legit, *In carne*, at hoc nec rei præsentis, nec Tertulliani instituto conuenit. Cato vero dicitur homo carnalis, & Spiritus, spiritualis.

§. 3. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 22. Non caro & sanguis secundum corruptionem carnalem dictum est non futurum, non secundum substantiam. Ita hic quoque quod ex carne natum est, caro est. *Caro autem & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Triste est hoc, sed verum æterni iudicis elogium: omnes nasci contaminatos, ex carne enim nascimur, ideoque caro, quocirca ad regnum spiritale nisi renascamur, introitus præclusus est. Totum autem corruptum est, ideo totum etiam intellectus & voluntas, regeneranda est. Apparet autem ex Tertull. lib. de carne Christi cap. 18. veteres hæreticos his Christi carnem oppugnasse.

*Etiã vobis dicitur corrupta est.*

VERSUS 8.

Spiritus ubi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde venit aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.

QUESTIO I.

Quid Spiritus hoc loco sit?

§. 1. Triplex est interpretatio. Prima Spiritum hic significare Spiritum Sanctum, spirantem, renouantem, sanctificantem, vt non intelligatur quomodo, aut vnde aduenit. Ita Nazianzen. Stapletonus in antid. plures in hanc sententiam citat. *Ceterum de Spiritu S. hunc locum exponunt alij Patres Græci, quæ grauissimi: Athan. lib. 1. & 5. de vnicâ Deit. Trinit. Greg. Nazianz. orat. 5. Theolog. Basil. lib. 5. contra Eunomium cap. penult. Greg. Nyssen orat. de S. baptismo. Latini autem Patres fere omnes hanc sententiam sequuntur. Augustin. in hunc locum Tract. 12. non solum eam tenet, sed & alteram de vento resutare contendit. Hilari. lib. 2. de Trinit. Hieronym. ad Hebræos quæst. 9. Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. & de Spiritu Sancto. lib. 3. cap. 11. Gregor. Mag. moral. lib. 27. cap. 13. Assimilatur ergo Christus omnem natum de Spiritu, id est, quemlibet vere Christianum Spiritus S. de quo renascitur, in tribus. Primum quod sicut Spiritus Sanctus ubi vult spirat, & sua dona ubi vult & cui vult distribuit; sic natus de Spiritu liber est in suis operationibus. vnde Paulus, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ex hac libertate spiritali quilibet verus Christianus legem implet, (Plenitudo enim legis dilectio, quæ est proprium & primum donum natorum de Spiritu) tentationes superat & peccata deuicat, (peccatum enim vobis non damnabitur, quia non estis sub lege, vt serui sed sub gratia vt liberi) diabolum vincit. (Maior enim est, qui in vobis est, quam qui in mundo.) Denique omne bonum quod vult operatur, & à Deo charitate nunquam inuitus separatur. Sic ubi vult spirat. Secundo assimilatur Spiritui Sancto omnis: quia sicut Spiritus Sancti vox auditur quidem exterius per Prophetas per Christum per Apostolos, & alios quos perpetuo mittit, etsi ipse sit inuisibilis; sic hominum spiritalium opera bona & admirabilia fors videntur, vt glorificetur Pater eorum qui in cælis est, sed dona gratiarum, vnde hac opera profluunt, interna sunt & inuisibilia. Probabilis est eius ratio, non autem recte aliam sententiam indicat absurdam: exponitur enim non minus sensum exhibet clarum, & in aliam tam textui, quam fidei consentaneum, quam ipsius sententiam. Deinde*

*Spiritus est Spiritus Sanctus, vt aliqui.*

*Scapletonus dicitur durus sita enim non minus sensum exhibet clarum, & in aliam tam textui, quam fidei consentaneum, quam ipsius sententiam.*

Prior sententia minus com-  
moda.

Deinde comparationes eius, non nimis coherent. Non enim inlicitum erat Christo docere, piorum operationes liberas esse, sicut spiritus Sancti, influxus est liber. Hoc enim non mirabatur Nicodemus, sed de regeneratione querebat.

Pari modo illud de voce Spiritus sancti per Prophetas sonant, ad dubitationem Nicodemi parum accommodatur. Quorsum attinebat de regeneratione quarenti; dicere impios nescire, quo tendant piorum operationes, & vita? Simili igitur aliquo eum perdidit, ne miretur id, quod non comprehendit.

Spiritus anima.

§. 2. ALTERA Maldonati: Spiritum esse animam, hoc sensu. Quid mirum si non intelligas spiritalem generationem cum carnalem animationem non percipias?

Spiritus est ventus.

§. 3. TERTIA. Spiritum esse ventum: Chryso-  
Cyrillus. Nec vno tamē modo hanc exponunt. Quidam enim aiunt; quemadmodum liberimus est veteri flatus, ita nos per spiritum sanctum restitui in libertatem. Alii vero à re naturali du: i argumentum putant; miratur quæ de generatione spiritali audit Nicodemus, mirandi occasio est causæ ignoratio. Latebat enim modus novæ genituræ. Christus infert: non esse hoc mirum: Ventum spirare ubi vult libere, audiri vocem eius. Causas esse abditas, penitusque latentes, ortum & exitum ignorari, hauriri in respiratione, & sentiri dum impellitur atque impellit, ita se quoque rem habere hominem renouari, occulta, admiranda, & inuisibiliter effectrice Dei virtute. Hunc idcirco sensu esse existimo, quod similitudine Christus utatur, & à rebus fere notis eas dicat. Qualis est igitur libera ventorum, aërisque agitatio, cuius causam & peritissimam ignorant, solus ille nouit, qui de thesauris suis promittit ventos, talis est in homine spiritali regeneratio, Deique efficientia. De modo autem Nicodemus inquit: quomodo possunt hæc fieri? Sux etiam rationis modo comprehendere satagit. quod fieri non potest. Itaque nonnulli eum arrogantia accusant. Alii modestè quasiuissè volunt, ut iustum decebat. Responso Christi subindicat eum cum aliqua diffidentia, & factu interrogasse. Quin etiã adeo vitatus ille loquendi modus est, ut nonnulli animam esse ventum putarent; imo ipsam animam pro exspirato vento acciperent. Hinc Virg l.

Similitudines ex rebus notis.

Anima quibusdam ventus videtur.

*Vt regem aquarum crudeli vulnere vidi  
Exhalantem animam. Sic expi: are  
Ἐκπνέειν. Syn. Ep. 4 4 εὐὸς ἐμπνέει  
καὶ δύνειται, quamdiu spirat & potest.*

Hic Græci dicunt, ἐκπνέειν τὸν βίον, πλὴν ψυχῆς. Proverbum Pythagoræ veteres recensent. ἀνεύειν τῶν πνεόντων πλὴν ἡρώ πνοῦναι. Ventorum flantium sonum adora. Quod Iamblichus interpretatur, ut audito ventorum auxilio, Deos adorarent. Alii ad in-  
stinctus caelestes referunt, ut mirum non sit, Christum ea similitudine vsu, quæ iam tria erat.

Spiritus non est anima.

§. 3. Non videtur hoc loco animam Spiritus significare; quamuis enim comparatio tolerabilis sit, verba tamen non conueniunt. Nam spiritus ubi vult spirat: animat non ubi vult animat, sed ubi creatur, vel educitur è potentia materiae. Ideoque ab eo quæ animat suo modo dependet. Nec hoc prætereundum est, spirare, pro animate, admodum peregrine sumi, vocem etiam animæ tribuit, cum multa animantia muta sint, & potius alia vitæ signa nominasset, vnde adesse animam cognoscimus.

Præferenda est igitur S. Chrysostrami, aliorumque sententia; & noster vsus est v. tho Spiritus pro vento & aëre. Cicer. in Catil. Possesne tibi huius vitæ lux Catilina, aut huius cæli Spiritus esse incundus? Vitales ergo aura, & ἡφύτων ἀέρος, in quo & ventus, sic appellat.

§. 4. Venti originem incertam, vt teneri, & regi non possit, prouerbio indicatur, manu tenere ventum, de re impossibili. Naturali enim vi fetur ἀκατάστατος, καὶ ἀκάλυτος. Chrysostr. hom. 25. in Ioan. πλὴν δὸς φύσεως φορῶν πλὴ ἀκάλυτον, καὶ μετ' ἐξουσίας γινώσκον δὴ λῶν.

Nec minus prudentiores Philosophi, nam quæ in Meteoris Aristoteles, alique scribunt, parum examinati omnia satisfaciunt.

VERSUS IO. & II.

Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

QUESTIO I.

Cur hanc protestationem Christus adiungat?

§. 1. Miranti Nicodemo Christus aliam haud miramorem admirandi rationem opponit. Magistrum scilicet Israelis ignorare eam, quæ est ex spiritu generationem. Syrus vocat מלך ישראל Melphanech disrael, Doctor Israel. Est verò hoc ab ἑλῶ ille h docere, & Hebræis מלך alluph dicitur, qui primarius est, & ductor ὀδηγός, seu consilio, seu robore. Frequentissime duces sic appellantur. Amici etiam intimi, quorum de sententia facere plerique solemus, sic vocantur. Interim nimum Nicodemus infensus est Caluinus. [Sed interea ridiculus est Nicodemus cum suo magistrali supercilio, quod in primis elementis magis quam pueriliter hælitat. Talis certe dubitatio turpis ac pudenda est, qualis enim religio, qualis Dei notitia, qualis regula bene viuendi, qualis spes vitæ æternæ, nisi tenemus hominem spiritu Dei renouari? Est ergo emphasis in voce hæc. Quia enim hanc doctrinæ partem scriptura identidem inculcat, ne postremis quidem tyronebus ignota esse debet. Nullo itaque modo ferendum est, vt. ius ignarus sit, ac rudis qui doctorem se in ecclesia proficitur.]

In confesso est, Nicodemum non ita atheum fuisse, vt crederet hominem sine Dei Spiritu posse renouari, iustum & saluum fieri. Hoc enim non minus veteri Testamento, quam nouo repugnat. Nec causa est cur Nicodemus Pelagianismum impingamus.

§. 2. Nicodemus miraculorum multitudine motus Prophetam & diuinum esse virum fatebatur, nec tamen doctrinæ ratione tenebat: Christus enim erigit, & auctoritate sua ad credendum, quæ minus intellectu perspicere, impellit. Vifa enim cognita, penitusque specta se docere proficitur: vt Chrys. docet. Cum res suapte natura sit obscurior, non potest in auctoritate afferentis fidem certam facere. Monet itaq; nec rerum magnitudine, nec intelligēdi imbecillitate doctrinam, sed auctoritate docentis esse censendam. Deinde non opinionibus, sed certa atque inenitabili veritate doctrinam suam constare. Neque illius dignitati obesse, quod pauci eam amplectuntur. Magna erat enim imbecillium animorum tentatio, cum suam paucitatem, paupertatem, cum ingenti turba totius fere mundi conferrent; se que viderent tot sapientum disputationibus, potentium violentiæ, popularium irruioni obiectos.

ADAMI  
112  
+ Euangeli  
CVI  
11

QVÆSTIO II.

Cur plurali numero utatur?

Non solet id Christus facere. Causam cur faciat aliquando, triplicem reddunt. Pri-

VERSUS 12.

Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si caelestia dixerò vobis, credetis.

QVÆSTIO I.

Quæ Terrena, quæ Cælestia?

Magna profus difficultas. Nihil enim Christus nisi caelestia docuit, de regeneratione, de baptismo, de cæteris, quæ certe spiritualia fuerunt.

Augustinus terrenum vocat illud: soluite templum hoc. Nec sane extra rem: publice miraculum postularunt, forte præsentem Nicodemum; Publice Christus respondit: Soluite templum, contra quod illi multis disputantes, se non credere demonstrarunt. At templi illa celeris restauratio terrena fuit, maius opus est gratia infusio, hominis regeneratio. Atque hanc sententiam quæ etiam Bedæ & Strabo placuit, admodum probabilem arbitror. Syrus terrena vocat תְּבִינָא דְּבַרְכָא, quæ in terra, & caelestia תְּבִינָא דְּבַרְכָא דְּבַלְשֶׁמַיָא, quæ in caelo. Quasi dicat, si capere non potestis, quomodo lapides coagmentari possim, quomodo de creatore omnium intelligeris? Syrus addit, מִיָּדֵי תְּבִינָא דְּבַרְכָא, thebaimenunani, credito mihi. Proprie ergo terrena accipit, non quæ Deo seruentibus impedimento sunt; & quorum amor à Deo abducit, sed quorum est imago in caelestibus. Si namque nemo hactenus inuentus, qui millesimam partem rerum mathematicarum intellexerit, si in punctis & lineis nostram ignorantiam quotidie fatemur, quid mirum nos ignorare caelestia? Terrena itaque תְּבִינָא, quæ hic videri & fieri solent. Quædam exemplaria habent: דְּבַרְכָא דְּבַלְשֶׁמַיָא non credidistis, quod sine dubio retulerunt ad miraculum promissum, de templo restaurando.

Chrysof. Cyrill. & Græci alii, de baptismo sermonem esse aiunt: Eum vocari terrenum, quod hominibus detur, vel regenerationem hominum, cum æterna filii Dei generatione conferri. Imo totum hoc de renouatione rudimentum esse & tirocinium doctrine sacræ; De gratia, de renouatione, & peccatorum remissione magnum est, multis difficultatibus implicitum mysterium; cuius obscuritate, &

olim multæ & nunc plurimæ hæreses exortæ sunt. Quia tamen de rebus creatis, earumque immutationibus agitur, nullam habet cum mysteriis, quæ ad diuinam essentiam aut personas pertinent, comparationem.

§. 1. Aliis visum est non de rebus ipsis, sed de modo explicandi Christum loqui: sed non intelligi res spirituales & arduas similitudine rerum humanarum explicantem, multo minus si res spirituales nude & prout in se constitutæ sunt explicaret. ad formam itaque & loquendi modum referunt. Calumniosus contra eos esse qui argute & subtiliter doceri volunt, aut magniloquentiam petunt: cui non coheret, quod adiungit: Quomodo si dixerò vobis caelestia credetis? Non enim dicere caelestia, est argute, subtiliter, eloquenter, aut abstrusas speculationes docere, sed res magnas, sublimes, rationem & intelligentiam nostram multis modis superantes.

VERSUS 13.

Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo.

QVÆSTIO I.

Quæ est connexio cum præcedentibus?

§. 1. Evangelista breuissime recenset quæ plurimis acta sunt, & fere fundamenta disputationis tantummodo ponit, deductiones & consequentias relinquit indagandas. Ideoque obscura sunt omnia. Chry. diff. Augustinus lib. 1. de peccatorum merit. cap. 31. hanc ceteris Euan. argumentationem conficit. Nemo potest ascendere in caelum, nisi filius hominis, qui descendit, opus est igitur ascensuro ut sit membrum eius, at membrum Christi non nisi regeneratione fieri potest vllus. Augustini Chrysofostomus & qui eum sequuntur, monent Christum se hoc loco Deum, & filium Dei profiteri, omnibus Prophetis maiorem. Ideo esse in caelo, descendere, ascendere, nullâ essentia vel loci mutatione. Interim Nicodemum admonet, non posse eum res caelestes percipere, nisi duce filio hominis, cui omnia arcana sunt percepta. Chrysofostomus.

QVÆSTIO II.

Quomodo ascendit in caelum?

§. 1. Ascendit in caelum præterito tempore dicitur: Ἄνωθεν βύθου, nec tamen tum facta fuit resurrectio.

Respondemus humanitatem Christi ascendisse, dum assumpta est ad diuinam hypostasin, visionemque beatam. Hic enim ascensus in caelum.

Porro cum dicat neminem ascendisse in caelum, eodem modo Ascendendi verbum accipio, & cum de omnibus negatur, & cum soli tribuitur Christo. Nemo ascendit aut corpore, aut mente, ut omnia periret. De secundo etiam ascendendi modo accipio, ut ascendere mente, sit res caelestes contueri. Non enim quisquam humanas, ne dum diuinas res plane perceperit, sic facillime intelligitur, quomodo Christus ascenderit, vel vnione hypostatica, vel etiam cognitione perfectissima rerum diuinarum. Tertul. aduersus Praxeam Deum ostendit patrem Christi, non enim alius filius alterius Dei. Idem enim qui descendit, ascendit, est in caelo, verum habet patrem in caelo, in eum credendum est. Hinc recte Maldonatus docere Christum, omnino opus esse, ut credant, nec aliter tamen posse, quam per filium doceri. Nemo enim alius in caelum ascendit.

§. 2. De

Descensus.

§. 2. Descendit de cælo per affectum, & præcipue, quia homo Christus, non erat in cælo, Deus autem in cælo non in terra videbatur. at post in terra fuit. Deinde per incarnationem cum se humiliavit vsque ad mortem, nec hic opus est aliud de descensu Deitatis quam alibi dictum est comminisci.

Arianisimum &amp; verbum distinguunt.

Athanasius lib. 5. contra Arianos, verba hæc esse docet; non alterius, sed vni geniti filii. Forsitan hic igitur impudentissime dixerint, Non filij, sed verbi hanc vocem esse. Atqui ex superioribus dictis clarum est, filium fuisse, qui ista loqueretur. Cum enim hic dicat, Non veni iudicare mundum; sed seruare, in confesso est, non alium esse, quam vni genitum filium Dei. Dicit enim superius Ioannes: Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vni genitum traderet, vt quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam: Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per ipsum: qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: eo quod non crediderit in nomen vni geniti filij Dei. Hoc autem iudicium est, quoniam lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quam lucem: erant enim opera eorum mala. Si is, qui dicit, Non veni, vt iudicem mundum, sed vt seruem ipsum, idem est, qui dicit, Qui videt me, videt & eum qui misit me: is autem qui venit, vt mundum seruet, non vt eum iudicet, Filius est Dei vni genitus: manifestum est, eundem esse, qui dicit, Qui videt me, videt & eum qui misit me: nam qui dicit, Qui credit in me: & si quis audierit verba mea, ego non iudico eum: de eo qui filius est, ista loquitur: Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, eo quod non crediderit in nomen vni geniti filij Dei. Ac rursum, hoc iudicium eius qui non credit in filium, eo quod Lux in mundum venerit, & non crediderunt ei, filio scilicet.

Etiam homo ascendit, &amp; descendit.

§. 3. Athanasius idem etiam lib. de incarnat. verbi contra Paulum Samosatenum, ascensum & descensum filij hominis de idiomatum communicatione exponit.

§. 4. Additur, qui est in cælo, ne putetur reliquisse cælum, sed omni modo Deus significetur. Quomodo in cælo & in terra Augustinus clarissime exposuit de peccat. mer. & remiss. lib. 1. capite 31. Quamuis enim in terra factus sit filius hominis diuinitatem tamen suam qua in cælo manens descendit in terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei, ne quasi duo Christum accipiantur, vnus Deus, & alter homo: Deus quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; homo quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ac per hoc per distantiam diuinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terrâ: per vnitatem vero persona, qua vtraque substantia vnus Christus est, & filius Dei ambulabat in terrâ, & idem ipse filius hominis manebat in cælo. Fit ergo credibilior fides ex incredibiliorebus creditis. Si enim diuina substantia longe distantiore atque incomparabili diuersitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, vt vna persona fieret, ac sic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cælo per participatam carnis diuinitatem: quanto credibilis alij homines sancti & fideles eius sunt cum homine Christo vnus Christus, vt omnibus per eius hanc gratiam societatemque ascenditibus, ipse vnus Christus ascendat in cælum, qui de cælo descendit?

Quibus omnibus manifeste conuincuntur Vbi quitari, dum omnipotentem, omnipotentem humanitatem fingunt.

Vbi quita-  
rij.

§. 5. Qui iam humanitatem Christi in cælo fuisse finxerunt, & deificatam, Germanice Vergöstet/longe à vero abeunt. Damascenus vitur quidem deificationis nomine, sed eam non mutatione, sed assumptione, & per communicationem idiomatum factam censet. Lib. 3. cap. 17. de Fide orthodoxa. Scire refert ait, quod non secundum transmutationem naturæ aut

versionem aut alienationem, aut confusionem caro domini deificata dicitur, simul Deus, & Deus facta, aut diuini loquens inquit Gregorius: quorum hoc quidem deificatur, illud vero deificatum est, ausim dicere quod eor, id est simul Deum.

§. 6. Nihil ergo hic Apollinari aut Schvvenckfeldio fauet, hic enim modus loquendi, non indicat carnem de cælesti sumptam natura, sed communicatione idiomatum; vnam personam, duas naturas, Homo est in cælo, homo est in terra; quemadmodum homo Deus, omnipotens, nō tamen humanitas erat in cælo, cum Christus versaretur in terra, homo enim qua Deus erat in cælo, non qua homo.

## VERSVS 14.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportuit Filium hominis.

## QVÆSTIO I.

Quæ similitudo serpentis & Christi?

§. 1. Nicodemum ex figura testamenti veteris instituit, & passionem suam prædicit. Ideo enim descendit, vt exaltaretur. Deinde fidei in Christum necessitatem & præstantiam declarat: Quem admodum enim mors ab ignitis serpentibus. Nati. 6. nullum remedium nisi serpentis aeni aspectus erat. Ita etiam nemo nisi fide in Christum à peccatis liberatur.

Similitudo autem Christi & serpentis erat, quod sicut serpens ille formam venenatæ & maleficæ bestię præferebat, nec tamen virus vllum; sed æs purum, eique ærem innoxium inclusum gerebat, ita Christus quoque habitum hominis peccatoris, sed ipse sine peccato tamen assumpsit; Imo contra omnia peccata salutare remedium præbuit, omniaque expiauit.

§. 2. Ophitæ etiam hic de serpentis similitudine verbis abusi sunt, vt serpentem colendum suscipere, ita testatur Tertull. præscriptione aduersus Hæreticos cap. 47. Accesserunt his Hæretici etiam illi, qui Ophitæ nuncupantur. Nam serpentem manifestant in tantum, vt illum etiam, ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquit, scientia nobis boni & mali originem dedit. Huius animalis uertens potentiam & maiestatem Moyses, inquit, ænem posuit serpentem: & quicumque ipsum aspexerunt, sanitates consecuti sunt. Ipse, aiunt præterea, Christus in Euangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Ipsum introducunt ad benedicenda Eucharistica sua. Originem erroris & ridiculam & pudendam recenset; Christum imitari aiunt sacram serpentis potestatem. Augustinus in eorum hæresi sic exponit. Ophitæ à Colubro nominati sunt, coluber enim Græcè Ophiū dicitur. Hunc autem colubrum qui decepit Adam & Enam, Christum arbitrantur, sed habent etiam verum colubrum, quem nutriant & venerantur. Qui & incantante sacerdotis egreditur de spelunca, & ascendit super altare, innoxium speluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas, regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, vt illi putant, sanctificatas. Tradunt huius serpentis cultum à Nicolaitis sive Gnosticis ad istos deductum. Clemens Alexandrinus 7. Strom. vocat Ophianos. eorum mentio est apud Iren. l. 1. cap. 36. Epiphanium, Isidorum, Baronium, Rabanum, alios. Vt mira sit humani ingenij peruersitas, ex tam leui argumento Christo serpentem præferre,

ferre, sed hos Magos fuisse satis incantationes arguunt.

§. 3. Caluinus exaltationem filii hominis de prædicatione Evangelii, non de crucifixione prædicatur. Nam de crucifixione Ioannes & hic, & semper intelligit, cap. 8. 28. Cum exaltauerit filium hominum non laudando, sed in cruce agendo, & Christus 12. 32. Ego cum exaltatus fuero. Sic etiam v. 34. Iudæi intelligunt. Nos audimus ex lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominum? Quo loco exaltatio opponitur immortalitati, quo non repugnat prædicationi. Equidem Christus forte vsus est verbo כלהוּת thala seu תהלוּת, quod est תהלוּת thala extollere, suspendere. hinc תהלוּת cumulus, collis, & Iosue 8. 28. חומות tumulus, & Ierem. 30. 28. אלוּת, altitudo. Itaque exaltare, erat in cruce suspendere, quod ex Iudæorum etiam patet responsio.

VERSUS 15. & 16.

Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

QVÆSTIO I.

Quomodo Deus mundum dilexerit?

§. 1. Ad tollendam Nicodemi admirationem, quod Deus filium exaltari voluerit, eximiam charitatem eius exponit. Mundum enim, hoc est, inimicos ita dilexit, ut filium, & quidem unigenitum, daret, & quidem in mortem crucis. Vide Rom. 5. 8. Ioan. 2. 2.

QVÆSTIO II.

An omnis qui credit, habeat vitam æternam?

§. 1. Si vera, viua, fide credit, atque in ea ad finem vitæ perseueret. Alioqui 1. Cor. 13. 2. nihil iuuat fides, si charitatem non habeant. Nec enim sola fide, sed etiam operibus iustificatur homo, ut Iacobus docet c. 2. 24.

§. 2. Obiicitur. Solus serpentis aspectus veneno liberabat, ille fidei soli respondit, non operibus.

Respondeo. Aspectum viuam, & fidem viuam inuile. Imo vero aspectum illum sine fide non fuisse: qui enim serpẽtem aneum intuebantur, Mofi credebant, sperabant. Itaq; erat eo loco & aspectus & fides, minimum ergo si omnia similia constituunt, fidei fidem respondere dicendum est, & aliud visioni. Verum absit ut quis homines illos solo aspectu, non etiam fide & caritate liberatos censeat. Si quis enim animo infideli, vel rebeli aspiceret, non liberabatur. Alioqui si omnia vergeant in similitudine pari modo concludere oportere, Impios in Christum credentes a peccatis saluari.

QVÆSTIO III.

An omnes & singuli credentes de sua salute certi sint?

§. 1. Nus hic est è locis quos passim occidunt hæretici, ad stabiliendam suam fiduciam specialem. Quamuis nunc doctiores in Hollandia ab eateceant. Singulatim igitur examinandus est.

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

Stultissime hæc verba deprauiare conatur Pareus 1. de iustificat. c. 8. [Quin stupor est Theologo indignus sic arguati: Fidei iustificantis obiectum sunt omnia, quæ Deus verbo suo reuelauit. Ergo non promissio specialis misericordiæ est fidei obiectum. Contra enim sequitur: Si omnia reuelata: ergo etiam promissio specialis misericordiæ est fidei obiectum. Inter omnia enim reuelata est etiam, & quidem præcipue promissio generalis & specialis misericordiæ: ut supra ostendimus: Ero Deus tuus & seminis tui. Beati omnes qui timent Deum: Propẽ est Iehoua omnibus inuocantibus eum in veritate: Custodit Iehoua omnes diligente se: Ut omnis qui credit non pereat, &c. Vniuersalis includit singularia. Ergo singulis inuocantibus, diligentibus, credentibus promissa est specialis misericordiæ.]

Respondeo. Breui sic res comprehenditur. Omnis qui credit, non peribit, ego credo, non peribo igitur. Vera est maior & in Scriptura Sacra. At sub illa generali non continetur ista particularis. Petrus credit. Sed alia, Petrus credens non peribit: quæ conditionibus multis innititur. Vt: Petrus credit, viua fide, caritatem habet, & bona opera, semper fidem, & charitatem retinebit. Quorum nihil est in facis literis. Scriptura dicit, qui credit in filium Dei: nusquam: qui dicit sibi remissa peccata, & manenti peccatori, & ante penitentiam, ille habet vitam æternam.

§. 2. Obiicit Pareus 1. de iustific. c. 10. [Secundo. Quod credere in filium, & credere sibi esse remissa peccata propter filium, sint idem, saltem reductiue, probatur. Credere, filium esse mortuum pro nostris, pro meis, pro tuis, est credere nobis, mihi, tibi, remitti peccata propter mortem filii. At credere in filium, est credere, filium esse mortuum pro nostris, pro meis, pro tuis peccatis. Ergo credere in filium, & credere sibi peccata remitti propter mortem filii, sunt idem. Illud autem Scriptura dicit: Igitur & hoc. Minor est manifesta, nec potest negari: quia omnium consensu credere in filium, est credere, naturam, passionem, mortem filii nostram & pro nobis esse. Maior probatur. Mors filii Dei pro nobis est causa remissionis peccatorum nostrorum: vicissim, remissio peccatorum nostrorum est effectus mortis Christi pro nobis. Est autem, inter hanc causam & inter hunc effectum nexus omnino necessarius. Ergo credere causam, filium pro tuis peccatis esse mortuum, necessario etiam est credere effectum, propter mortem filii tibi esse remissa peccata.]

Respondeo. Hic omnia falsa, vertiginosa, stolidia esse. Primo. Credere in filium est, credere Iesum Christum esse filium Dei, ut habetur in Symbolo: Et in Iesum Christum filium eius, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto. Eum mortuum pro nobis, & remissionem peccatorum esse, alius est articulus. Ioan. epi. c. 1. 5. 1. exponit, quid sit, in filium credere. Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est, & v. 5. Quis est qui vicit mundum, nisi qui credidit quia Iesus est Christus. Sic Ro. 10. 9. Nusquam autem in symbolo vel scripturis est, credo mihi mea peccata remissa esse.

§. 3. Hoc etiam stolidum est, Credere filium Dei mortuum esse pro peccatis meis, tuis, id est esse quod credere, mihi mea, tibi tua remissa. Hac enim ratione cogar credere toti mundo peccata remissa, Herodi, & Iudæ. Mortuus est enim pro peccatis totius mundi. Negant quidem diuinæ misericordiæ obteclatores Calviniani, Christum pro omnibus esse mortuum, afferunt autem nobiscum & Lutherani, & Arminiani. Qui idcirco hanc eorum propositionem necessario condemnant.

§. 4. Aggreditur tamen rem manifesto absurdam probare. Mors est causa, remissio effectus, ergo si causam credo effectus etiam credendus est. Noua philosophia, sed Calviniana.

Pareus  
errores  
Fallacia  
argumenti

Quid sit  
credere in  
filium Dei  
Credere in  
filium Dei  
non est cre-  
dere remis-  
sa peccata

Z niana

*Causa quomodo sit sine effectu.*

niana. Non enim causa & effectus necessario sunt conexa: nec consequens est effectum esse, si sit causa: quamvis si effectus est, causam esse, vel fuisse necesse. Causa sapè est, sed in particularibus effectus impeditur. Sol calefacit, multa tamen ob causas singulares frigore torpent. Nonne erat causa salutis, cum Christus vellet filios Israël congregare, ut solet gallina pullos: cum Deustota die expanderet manus ad populum non credentem. Effectus non est secutus; Ratio quia effectus non constat nisi generalium & singularium causarum concursu, remotis obstaculis.

*Non tollit actu omnia peccata.*

Fateor causam in actu, seu actu agentem esse simul cum effectu, verum credere in filium Dei non est credere filium Dei iam actu tollere totius mundi, etiam futura peccata. Nusquam porro Scriptura dicit: Credendum est tibi remissa peccata, sed credenti perseveranter, cum charitate, remissa. Addit ille calumnias, Nihil aliud nos credere, quam Dæmones. Alio loco ad hoc respondeo. Solum moneo, fidem veram impiorum esse supernaturalem, donum Dei Dæmones evidentiâ signorum convictos credere. Obiectum tamen idem est; fides impiorum non magis saluat eos, quam Dæmones sua.

*Cur nulli sit certitudo.*

§. 5. Non constare autem unicuique certo & infallibiliter se credere eo modo quo oportet, manifestum est. Quia motus illi in reprobis fatente Caluino simillimi sunt; & pars maxima hominum decipitur. Deinde hæc requirit, ut sit actio supernaturalis, habeat adiunctam charitatem, certissimè credat, se non amissurum fidem, aut si amisserit recuperaturum, quod sentire ille non potest, qui dicitur credere: nec enim propheta est, nec in sacris literis est eum perseveraturum. Imo concedunt Luthe ani fidem amitti posse, inde concludunt Arminiani ex scriptura doceri non posse, unumquemque de sua salute securum & certum esse. Quod etiam confirmant Arminiani Hagienfi collatione & eius corollariæ de cap. 1. & ex statu controverfiæ pag. 503. quem Batauis exhibuerunt.

Multos in eadem fuisse sententiâ ostendunt Remonstrantes apud eosdem. Varias confessiones aliarum Ecclesiarum, nihil dissentire de hac re desinire, alias rejicere dissentientiam nostrorum; quæ tamen inter se concordantes permanent in fidei harmonia. Vade concludunt, licere ipsis libere sui attributa in hoc articulo contradicere fidei veritate ac veritate necessariâ retentâ; 2. Confessionis Belgicæ definitionem sitale quid desinire, esse recentem, privatam, & contra consensum Ecclesiarum reformatarum inter se, & ex diametro contra scopum, in quem omnes Confessiones conscriptæ sunt. Vide totam Coronidem de pe. seuerantia.

*Hic agitur de assensu fidei.*

Pareus ex hac fide specialem suam fiduciam fabricat. Absurdissime enim, & ineptissime hæc ait de fide quæ in assensu consistit intelligi. l. i. cap. 6. de iustificatione, sed è contrario non potest homini textum consideranti venire in mentem, hic non agi de assensu fidei. Nicodemus in Christum credidit, miraculorum argumento impulsus. Audit de regeneratione & miratur, Christus è contrario ignorantem reprehendit, tandem protestatur certa se vifa referre. De fiducia illa qua se Nicodemus per omnia flagitia iustitiam retinere posse considerat, verbum nullum. Quid vero alius opus erat si fiducia sola salutem adferret? Quid est aliud dicere, quam Fac quicquid libuerit, & sanctus, iustus, saluus eris, si credideris tibi nullum crimen impurabitur.

§. 6. Hinc alia omnia concidunt, quæ habet l. i. cap. 11. Responderat Bellarminus promissiones generales loqui de sufficientia, non de efficacia meriti Christi. Cui Pareus occurrit, sed nihil ad Bellarminum responderet. Obiiciunt illi speciatim salutem singulis promitti, & varias scripturas producant.

Ad hæc loca Bellarminus respondet. Denique, quod dicunt de promissionum generalium applicatione, propter illa pronomina nobis, me, & similibus: recte dicunt, posse unumquemque promissiones generales sibi applicare per fidem. Nam quemadmodum fide Catholica credo, Christum mortuum esse pro omnibus, ita eadem fide credo mortuum esse pro me, qui sum vnus ex omnibus. At illa promissiones quæ absolute referuntur in Scripturis, testantur sufficientiam pretij nostri, id est, meritorum Christi. Fuit enim Christi passio, quoad sufficientiam, propitiatio pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi. Nulla autem est promissio generalis, quæ testatur Christi mortem in omnibus sortiri suum effectum, absque vlla conditione ex parte ipsorum sed omnes conditionales sunt, quod attinet ad efficaciam, cum fidem & sacramenta requirant. Legant aduersarij nobis ex libro Dei talem aliquam generalem promissionem. & tunc suo iure poterunt eam situatione pronominum applicare.

§. 7. Pareus obiicit: [Pro Quarto: falsum est, promissiones generales loqui tantum de sufficientia, non etiam de efficacia, meriti Christi. Expresse enim promittunt efficaciam omnibus & singulis credentibus: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Per hunc accipit remissionem peccatorum quiuis qui credit in eum. Hæc & similia innumera loquuntur de efficacia meriti Christi, non absolute in omnibus, sed in omnibus creditentibus. Ita verum quidem, exigij conditionem fidei ad remissionem peccatorum: sed falsum, non posse quemquam credere, sibi remissa peccata: quia quod hic vel ille credat, ex nullo verbo Dei discatur. Quod enim omnis credens, proinde & hic vel ille credens habeat remissionem peccatorum, debet disci ex verbo Dei. Quod vero hic vel ille credat, non debet disci ex verbo Dei, sed debet sentiri in huius vel illius corde: vt supra de discrimine fidei quæ creditur, & quæ creditur est explicatum, illa scripta est in verbo Dei: Hæc scripta esse debet in corde cuiusque credentis ex verbo Dei. Fidem, inquit Augustinus, quisque videt in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit. Et rursum. Fidem in corde, in quo est, quisque tenet certissima scientia, clamatque conscientia: Et postea: Suam igitur quisque fidem apud seipsum videt: in altero autem credit eam esse, non videt. Nimis igitur vel crassa inscitia laborat, vel protegetua Sophistica ex æquiuocatione fidei ludit aduersarius.]

Respondeo eodem in errore aduersarium hæretice pertinaciter, & studiose fallere. Primo enim non de certis monstrat loca, quæ Bellarminus exponit, de efficacia meriti agere, sed manus dat, & arma sociorum, vt futilla proicit. Deinde alia substituit vt præsertim locum, suos igitur nec recte probare concedit, ne quod promissit audeat defendere. Nunc igitur de verbis quæ exponenda suscepimus agendum est. Hos fateamur vltro merita Christi efficacia esse in omnibus vere, & vt oportet, credentibus, nam iustificando efficacia fuerunt. Sed inde concludi negamus constare singulis: ego credo vt oportet, semper creditur sum habeo bona opera, charitatem, &c. Hoc ille ex Augustino probat. Locum Augustini integrum referam. Fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines quæ in memoria tenemus, etiam absentia cogitamus, nec sicut ea que non vidimus, & ex ijs que vidimus cogitatione vtrunque formamus & memoria commendamus, que recuramus cum reuerimus, vt illic ea vel potius qualescunque imagines eorum quas ibi fiximus similiter recordatione cernamus: nec sicut hominem viuum, cuius animam etiam si non videmus, ex vestra conijcimus, & ex motibus corporalibus hominem viuum, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando.

ADAMIUS  
113  
+ Evangelium  
C.VI  
14

Videtur fides in corde in quo est, ab eo cuius est: sed eam tenet  
 verissima scientia, clamante conscientia. Cum itaque pro-  
 pterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, vide-  
 re non possumus, ipsam tamen fidem quando inest in nobis,  
 videmus in nobis: quia & rerum absentium praesens est fi-  
 des, & rerum quae foris sunt intus est fides, & rerum quae  
 non videntur videtur fides, & ipsa tamen temporaliter sit  
 in cordibus hominum: Et si ex fidelibus, infideles sunt, perit  
 ab eis.

Nihil illa verba obsunt veritati. Fidem nos habe-  
 re scimus. Nam certo scimus nos assentiri reuelatae  
 veritati, etiam pro ea mori paratos. Certe etiam no-  
 rant illi, qui non credunt se non credere, non est hoc  
 obiectum, sicut obiectum fidei, Trinitas, missio filii  
 atque alia, cum his enim S. Augustinus comparat fi-  
 dei visionem. Deinde fidem quae in vnoquoque est,  
 & quam quisque certo se habere non cum ea, quae in  
 alio est, confert, quam ex signis eum habere coniciunt.  
 At vero non docet; vnicuique clarum esse; fidem  
 eam esse supernaturalem, cum caritate, indelebilem.  
 Imo quod falsus est ad aduersarium conuincendum  
 poite fidem posse diserte dicit: *Et si ex fidelibus infideles  
 sunt, perit ab eis.*

§. 8. Consentiunt illi caeteri orthodoxi Ignat. E-  
 pistola 2. ad Ephes. Iustin. quaest. 22. 23. 98. Clemens  
 Alex. l. 1. Strom. Iren. l. 4. aduersus haereses. Cypr. de  
 unitate Ecclesiae. Basil. ad Chil. Athan. orat. 4. contra  
 Arian. Hieron. l. 2. aduersus Pelagian. Ambros. sermo  
 ne 47. Greg. l. 11. cap. 37. de vocat. gentium. Greg. l.  
 6. in primum Regum. Liran. in r. Isaia. Imo etiam  
 Haereticus Melanchthon in i. Corinth. cap. 10.  
 [Quod autem in aliquibus qui initia fidei habue-  
 runt, & postea lapsi non redeunt, fides, illa prius  
 quam excutitur, vera sit, dictum illud Petri testa-  
 tur.] Et locis communibus de fide: [Exempla co-  
 gitemus Saulis & Dauidis, qui & beneficia quaer-  
 consui illa sunt creatio, patefactio Dei, missio filii,  
 donatio verbi & Euangelii, donatio Spiritus Sancti,  
 promissio vitae aeternae, nutritio & defensio corporis  
 & animae, depulsio Diaboli, literarum & verae do-  
 ctrinae ostensio, gubernatio diuina in moribus &  
 consiliis, felicitas consiliorum, &c.] tenuerunt ante  
 lapsum, & post lapsum exuti tantis bonis, poenas sen-  
 serunt quas recitauit. Haec sunt ira Dei, poena aeter-  
 na, mors, calamitates praesentes publicae & priua-  
 ta, amissio donorum, inopia, morbi, infamia, infeli-  
 citas consiliorum, infelicitas studiorum, errores & fu-  
 rores, infelicitas liberorum, Diaboli tyrannus, impel-  
 lens in plura peccata, & maiores miseras.] Confes-  
 sio Augustana artic. 11. de Poenitentia. [Damnant  
 Anabaptistas, qui dicunt, homines semel iustifica-  
 tos non amittere Spiritum Sanctum.] Confessio  
 Bohemica cap. 7. [Quo loco S. Petrus manife-  
 ste ostendit, bonis operibus exercendis operam  
 dandam, ob causam vnam, ne quae adest nobis gra-  
 tia fidei & bonae conscientiae, vel amittatur, vel pol-  
 luatur, sed vt haec potius conseruetur. Spiritus enim  
 Sanctus fugit idololatrias, & recedit a prophanijs, &  
 malis impurisque Spiritus reuertitur in vacuum &  
 inuolans domum. Quicumque etiam conscien-  
 tiam bonam vel amittit, vel polluit, quid is laudabile  
 Deo grati aut pretiosi operis praestare poterit: quo-  
 modo precibus operam dabit?] Et Angli anno  
 1562. artic. 16. [Postquam recepit Spiritum San-  
 ctum, possumus recedere a gratia.] Item Wigan-  
 do & Matthaeo iudice testantibus Eccles. Lube-  
 centi.

§. 9. Viget amplius Pareus. [Tertio falsum quo-  
 que, particulae propositiones non esse scriptas  
 in vniuersalibus. Ista enim vniuersalis scripta. O-  
 Adam Conzen in Euang. Tom. II:

mnis qui credit in eum, accipit remissionem pecca-  
 torum, irrefragabiliter has particulae quasi scriptas  
 includit. Petrus, Paulus, Lutherus, Calvinus cre-  
 dens in eum, accipit remissionem peccatorum: seu,  
 quod idem est, Luthero; Caluino credenti in eum  
 remissa sunt peccata: Sicut contra haec vniuersalis:  
 Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira  
 Dei manet super eo: has particulae quasi scriptas  
 includit: Iudas, Bellarminus, & quibus Iesuita non  
 credens in filium, sed tantum credens filium sicut hy-  
 pocrita & Daemones credunt, non videbit vitam, sed  
 ira Dei manet super eo.

Est vero aduersarius hic nimium insulfus, vel po-  
 tius miser, non credens, ad se particulariter pertinere  
 promissiones: nisi particulariter de se sit scriptum, Tu  
 Cardinalis Bellarmine habes remissionem peccato-  
 rum. Nemo enim sanus Homo nescit, leges necessa-  
 rio vniuersaliter scribi, eo quod particularia sunt infi-  
 nita: particularia vero sub vniuersalibus contineri.  
 Par ratio est promissionum Euangelii, quae ita vniuer-  
 sales sunt, vt particulae & singulares omnes sub se  
 contineant. Ista igitur in illis scriptis necessario intel-  
 liguntur, & creduntur: alioqui ad Bellarminum, ad  
 Paulum V. mœchantem, furantem, mentientem, non  
 pertinebit lex: Non mœchaberis: Non furaberis:  
 Non dices falsum testimonium: quia non expresse  
 est scriptum: Tu Bellarmine, tu Paule V. non mœ-  
 chaberis, &c. Intellegitis istorum hominum insulsa-  
 tem, vbi maxime arguti videri volunt, cauteriat  
 conscientiae manifestum argumentum.]

Respondeo de causa desperantis est irasci. Sed rem-  
 ipsam spectemus. Hoc non modò non negamus, sed  
 dogma Catholicae fidei esse docemus. Hanc particu-  
 larem. Petrus credens accipit remissionem, contine-  
 ri in hac generali. Omnis credens accipit remissionem  
 peccatorum. Subalterna enim sunt: sed negamus Pe-  
 trum certam esse hanc: Ego sum credens. Haec enim  
 non est in Scriptura, sed opinione hominum nimis,  
 quam facile errantur. Quod vero ait Bellarminum  
 putare ad se non pertinere particulae promissiones,  
 nisi sit particulariter de se scriptum. Tu Cardinalis Bel-  
 larmine habes remissionem, recte facit Cardinalis, inique  
 aduersarius Cardinalis. Haec enim particularis non  
 est in vniuersali. Cur ergo eam credat? Ipse Pareus  
 fatetur. Neque enim nos absolutam particularem hanc:  
 Ego credo in filium Dei, colligimus, vt conclusionem: sed sub-  
 iunimus vt minorem propositionem sub vniuersali: omni qui  
 credit in eum, habet remissionem peccatorum, & vitam a-  
 ternam. Si hanc non colligis, quid molestus es Car-  
 dinali? Si subsumis vt Minorem, nos eam in Scri-  
 pturis esse negamus. Ipse fatetur §. 3. [Nostra enim fi-  
 des non est in opinione, sed in corde nostro radica-  
 ta: quia credens se credit, & dicit cum Dau-  
 de: Credidi, propterea locutus sum. Et: Scio cui  
 crediderim. Nec refert, quod assumptio absoluta,  
 hoc est, fides mea, tua, non est scripta in verbo Dei,  
 nec est verbum Dei. Non enim fides mea, tua debet  
 esse scripta in verbo Dei, sed debet ex verbo Dei  
 Spiritu Sancto scripta esse in meo, & tuo corde. Et  
 prodit hic aduersarius vel inscitiam, vel sophisticam  
 pudendam, quod fidem, quae creditur, & qua credi-  
 tur, perpetuo confundit. Fides quae creditur, seu do-  
 ctrina fidei, necessario debet scripta esse in verbo  
 Dei: sed fides, qua creditur seu cordis, debet ex  
 verbo Dei in cordibus nostris scripta, sculpta, radicata  
 esse: sicut praclare docet Augustinus loco saepius al-  
 legato.]

Huic stultitiae par non potest inueniri. Quari-  
 mus an certum sit; Ego credo in filium Dei? Nega-  
 mus esse in scriptura; Pareus ait esse fidem quae cre-  
 ditur

Particu-  
 lae vni-  
 uersalis.  
 uersalis.  
 melusa.  
 Leges v-  
 niuersa-  
 liter scri-  
 buntur.  
 Particula-  
 re quae non  
 sit in Scri-  
 ptura.  
 Fides qua  
 creditur;  
 & qua  
 creditur:



eos peccatorum. Lex enim, vt Paulus ait, spiritualis est, propterea quod exigit non tantum civilem honestatem, sed perfectam iustitiam. Cum autem inueniat homines carnales, qui natura sua propter peccatum ita corrupti sunt, vt non possint perfectam iustitiam facere, idcirco lex primum ostendit peccatum, deinde reuelat iram Dei propter peccatum, & iudicat, hoc est, pronunciat omnes homines propter peccatum reos aeternae damnationis, & occidit eos perpetua morte. Iudicare enim vulgari phrasid, non solum significat consilia inter se conferre, sed etiam significat innocentem morte condemnatum occidere. Sic Lex Moyli, cuius septime est Dealogus, iudicat omnes homines quia est spiritualis Carnifex, quo omnes homines propter peccatum traduntur igni infernali. Habes officium Moyli. Conferamus nunc cum eo officium Christi. Deus (inquit) non misit filium suum in mundum, vt iudicet mundum. Quid hoc aliud est, quam sic dicat: Officium Christi filii Dei longe aliud est quam officium Moyli serui Dei: Nam Deus misit Moysen, primum vt iudicet mundum ciuilitate, hoc est, vt esset externus & politicus magistratus ac Monarcha in suo populo. Vnigenitum autem filium suum, Iesum Christum, non misit vt iudicet mundum ciuilitate, vt dominaretur politice in populo, sed vt sit rex spiritualis & caelestis. Deinde Deus misit Moysen, vt iudicet mundum spiritualiter, hoc est, vt ferat spiritualem legem, qua hominibus peccatum reuelaretur, & homines propter peccatum condemnarentur, ac perpetua morte trucidarentur. Vnigenitum autem filium suum misit, non vt iudicet mundum spiritualiter, sed vt seruet mundum, qui sunt homines, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat aeternam mortem, sed habeat aeternam vitam. Ac breuiter, Moses venit, vt auctor peccati. Peccatum, inquit, genuit per praecipuum in me omnem concupiscentiam. Et mox, vt fieret maior in modum peccans peccatum per praecipuum. Christus autem venit vt iustificator a peccato. Omnis enim qui credit in ipsum, reputatur coram Deo iustus. Moyses venit vt praecolat Deum. Lex enim iram operatur. Christus autem venit, vt autor gratiae Dei. Qui enim credit in Christum, is tantam gratiam inuenit, propter ipsum apud Deum, vt adoptetur in filium Dei. Moyses venit, vt iudex, seu spiritualis carnifex, Christus autem venit, vt iudicatus a carnificibus accipiat, & aeterna morte condemnatus seruet, atque ad aeternam vitam ac felicitatem perducat. Hoc illud est, quod Christus ait: Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Quo Christi officio, quid nobis aut iucundius, aut etiam magis necessarium? Qua etiam cognitione, quid plus est nobis salutare? qua ignorantia, quid perniciosius? Et enim, si quis veram huius officii Christi cognitionem non habuerit, vt versatur in summo errore, & in maximarum rerum ignorantia, ita fieri non potest, quin in iudicio Dei pereat, & vera sua salute destituantur. Neque enim tueri se potest, vel aduersus impietates aliarum religionum, vel aduersus horribiles illas accusationes legis in iudicio Dei. Ac nihil quidem dicemus nunc de his religionibus, quae Christum aut ignorant, vt quondam Ebraei, aut condemnant, vt nunc Iudaei, sed dicamus pauca de illis, quae videntur aliquam Christo tribuere auctoritatem. Monachi & Sacerdotes in Christianismo, recitant symbolum fidei de Christo, laudant Christum, commemorant historiam passionis & resurrectionis eius a morte, dicunt eum ascendisse in

Caelum, & sedere ad dextram Dei, ac venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Quid ergo est quod condemnentur impietatis? quid iubemur eos vt pseudopphetas, & impostores fugere? Quid, obsecro, deest eis? Hoc videlicet deest doctrinae seu religioni eorum; quod non intelligant verum officium Christi. Faciunt enim ex Christo legislatorem, & respectorem ac remuneratorem humanorum meritorum. Hoc certe non est verum Christum agnoscere, sed nouum sibi Christum fingere, adeoque nullum profusum Christum, hoc est, seruatores habere.]

Respondeo. Quomodo non cognoscimus verum Christi officium? Nonne Dominum redemptorem cognoscimus? Nonne dicimus eum venisse, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum? Duplex Christi aduentus est, Prior redemptoris, alter iudicis. Et quomodo damnabimur, si legislatorem dicamus Christum? Si remuneratorem? cum Dominus sit legisfer, cum sit bonorum operum remunerator.

§. 2. Pro omnibus mortuorum esse Christum seruo inculcat, cum toti mundo datum asserit, Prosper. *Christus Qui dicit quod non pro totius mundi redemptione Saluator pro omnibus sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium est mors respicit partem, cum sanguis Iesu Christi pretium totius mundi tuus sit. A quo precio extranei sunt, qui aut delectari captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt virtutem reuersi.* Et alio loco: Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi est redemptio totius mundi: sed qui hoc saeculum sine fide Christi & sine regenerationis Sacramento pertranscunt, redemptionis alieni sunt.

Venit enim vt saluet mundum: & pretium obtulit sufficientissimum, pro infinitorum mundorum peccatis; sed hominum malitia obstat, quo minus effectum consequatur.

## QVÆSTIO II.

Quod iudicium mundi est?

§. 1. **C**ondemnationis causam generatim explicat, contempum ac odium veritatis, quod ortum est ex peccandi licentia. Lucem Prophetæ, Ioannes, Christus, Apostoli intulerunt, homines magis tenebras amarunt, opera enim eorum mala erant. Contra Deum expostulare solent homines impii & profani: in Christum credere difficile esse, graue iugum imponi, damnationis nimium rigorem esse. Christus causam veritatis & aequitatis agit, nam indignos esse veniam coarguit ex hoc ipso, quod lucē resurgente vndique ipsi se in tenebras abdant.

§. 2. Beza reprehendit quod noster verit. [Vulgata & Erasmus, Magis: quae interpretatio sic posset accipi quasi & lucem & tenebras quam lucem, cum potius delectat Christum homines contempta luce tenebras esse amplexos. Non dissimilem errorem annotauimus Luc. cap. 18. v. 14.] Duplex error Bezae. Nullum enim putat Lucem amasse, cum multi illa afficerentur, & gaudio reciperent ad tempus, sed tandem luce relicta in suas se tenebras abdiderunt; lucis ergo futuraliquis, sed breuis & inconstans amor, quem vitioium impetus excussit. Videbant & probabant meliora, sequebantur detiora.

Hodie videas innumeros alienae virtutis laudatores, admiratores, etiam amatores, sed in suis tamen vitiiis ipsi conabescunt. Atque hic error Theologicus est, alter Grammaticus. Vniuntur enim haec voces, et ter.

ce etiam cum alteram partem excludunt. Ut cum in Andria dicitur seruulus habere aliud magis ex sese, & maius: hic excludit alteram partem. Cicero de amicitia, Vereor ne magis inuidi, quam amici sit. Hic Tullium Beza sine dubio corriget, dicerque. Potius inuidi quam amici dicendum fuisse. Ne & inuidi, & amici opus esse dicamus, cum inuidus, eius cui inuidet, non sit amicus. Sic 2. de Oratore. Magis mea facilitate, quam vlla alia culpa.

## VERSUS 18.

Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti.

## QVÆSTIO I.

Quomodo credens non iudicatur, incredulus iudicatus est?

*Judicari est damnari.* §. 1. Iudicari hoc loco est condemnari. Fidelis non damnatur, quia causam salutis in se retinet. Incredulus iam damnatus est, non solum quia damnationis causas habet, sed etiam quia Iudicis misericordiam aspernatur. Syriace est *ܢܘܨܝܢܐ*, ut dixi, sed Interpret, hic etiam vertit *damnari*. Qui autem credit non ideo securus est. fieri enim potest, ut incipiat non credere, ut fidem viuam amittat.

§. 2. Iam damnati sunt; quia causas damnationis in seipis habent, improbitatem perseverantem. Nam Christus vita & salus, non est causa mortis & exitii.

Hilarius medios quosdam inter pios & impios facit quos putat iudicandos, & hos peccatores esse, sed non impios tamen, eo modo quo alios vocat impios, in Plal. 1. Verum omnes constat iudicandos etiam bonos, iudicio quo pramiorum magnitudo, & proportio designatur.

*s. Hilarij sententia.*

§. 3. Iudicium appellat sententiam damnationis, quæ iam concepta est, & dicta in eos qui non credunt. Duplex est autem non credentium status. Primus eorum qui non credunt, aliquando credituri: alter eorum qui non credunt, & in infidelitate sunt perseveraturi, quod discrimen in illis quoque, qui credunt, locum habet. Qui non credunt credituri, damnati sunt secundum presentem infidelitatem, absolventi cum crediderint; ceteri vero damnati nunquam absolventi, nam sententia iam dictata, legis vigore reos supplicio tradet.

*Duplices qui credituri, qui que non credunt.*

Nec discrimen facit Christus inter infidelitatem & alia peccata, quod falso multi sunt interpretes suspicati: Nam etiam homicidæ, adulteri, quique aliis criminibus tenentur, iudicati sunt. De infidelitate ideo Christus Nicodemum instruit quod ille se alienum à damnabilibus culpis putaret, & necessarium esset, de fide ut salute per filium Dei consequenda, eum edocere. Tantum igitur abest, ut diuersam infidelitatis causam & aliorum peccatorum statuatur, ut potius ex paritate Nicodemo, quid expectandum illi sit, nisi credat, ostendat. Nam, quem admodum, inquit, qui in legem Moylis delinquent, iam tum cum scelus concipiunt damnati sunt: causam enim damnationis habent, Dei etiam decreto pœna & modus pœna statutus, & nisi respiciant momento tantum executio differetur, ita etiam incredulus futurum, qui si perseverant quamuis mun-

*Non solum infideles iudicati.*

do, vel iusti, vel honorati videntur, damnati sunt. Sic Roman. cap. 14. v. 25. Qui autem discernit, simandus est, damnatus est.

## QVÆSTIO II.

An omnis, qui male agit, oderit lucem?

§. 1. Aliquando perditissimi homines clara luce, Publici & palam scelera committunt, ut de legibus viuentium & is se triumphare demonstrent, alii etiam peccatorum vulnera reuelant, ut sanentur. Veritatem facere Hebraeis est rectè, sincere agere.

Ad lucem venire est velle in publico esse, nolle celate facta. Natura autem ita comparati sunt, ut culpa facta celare pudoriubeat, præclara autem opera in Deo facta ad eius gloriam, aliorum salutem vulgari conueniat; neque enim hic agitur de hominum vanitate sua opera laudantium, aut ad ostentationem laborantium, alioqui ex Deo non essent, sed arrogantia humana. Syrus habet *ܢܘܨܝܢܐ* *desaniacha*, quod odiosa, inimica, & quasi dicat, *alominata*, significat. Porro hic de hominum hypocrisis agitur, scelera sua celare satagentium, remedia odientium.

Ut non arguantur opera eius, quædam Græca exemplaria habent: *ὅτι ποιητὴς ἐστὶν, quod mala sunt.*

§. 2. Qui opera bona facit, ad lucem venit, Deo enim probare se conatur, Deo enim laborat. Non quod rectè agat ante lucem acceptam ex natura, sed quod aliqua luce aspersus, porro in eam se inclinaret, magisque & magis illustretur.

## VERSUS 22.

Post hac venit Iesus & discipuli eius in terram Iudeam & illic demonstrabatur cum eis, & baptizabat.

## QVÆSTIO I.

Vnde venit in Iudeam?

§. 1. Nonnulli ex Galilæa venisse, plures Ierosolymis habitare; hoc enim indicat orationis contextus, in Iudeam cum exeunt, in regionem illam ire dicuntur, in qua ciuitas est; & qui in arce sunt, quæ intra vrbis moenia sita est, in urbem ire dicuntur. Alii malunt ideo dici, quod Ierusal. m esset in tribu Benjamin, extra in tribum Iuda profectus sit. Alii in territorium Iudææ, seu agrum.

Vincentius noster Iudeam à Benjamin distinguit docet: Toletus sensum esse, quasi dicat, non est reuersus in Galilæam, sed mansit in Iudæa.

## VERSUS 23.

Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim: quia aqua multe erant illic & veniebant & baptizabantur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizabat?

§. 1. IN Enon iuxta Salim. Alia enim Enon erat prope Damascum, Ezechiel. 47. 17. Syrus ait *בְּכִין לַאֲנֹן* bekim Lauan, in fonte Lauan. Apud Ezechielem vero est *בְּכִין לַאֲנֹן* ghem, ita vt voce etiam differunt, Syrum interpretari possis, in fonte Lauan, vel, fonte Ionis. Falluntur itaque interpretes, qui eundem locum faciunt, eo quod idem nomen existiment. Enon Hieronymus de locis Hebraicis inter Iersalem, & Diospolim, id est, Zyddam collocat. Salim ait esse in Sichem.

Aqua multis, riuus scilicet, & fontes, non autem Iordanis inundationes.

VERSVS 25.

Facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione.

QVÆSTIO I.

De qua purificatione facta est questio?

§. 1. Non de Iudaico ritu, sed baptismo; hoc enim mouit Discipulos, cur veniant & Ioannem moneant, zelo peruerso impulsu. Syrus habet, *questionem vni בְּכִין לַאֲנֹן* la had ex discipulis ortam esse, cum vno Iudæo, ab vno videlicet incepit, ad plures deinde est prorogata contentio. Ne vero parui faciat querelas Magister, arguit etiam v. 26. Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat. & omnes veniunt ad eum. Omnes ad illum venire hyperbolice dicunt, qui enim pro baptismo zelabant non veniebant. Syrus pro *טוֹבֵרֵס* vertit: *סִגְרִיטוֹ* sagie multi.

Christum baptizare asserunt; nam Apostolos baptizabat, saltem ex illis al quos, per quos ceteros deducendo baptizabat. Ordinarie Dominus euangelizabat, miracula faciebat, baptizandi officium per discipulos exercebat.

§. 2. Ioannes respondet v. 27. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de celo; & accusationem retundit. Hoc autem Ioannis dictum de Christo dici communiter consentiunt. Alij indignantis exclamationem esse arbitrantur. Non mirum eos tot suis exhortationibus tam parum profecisse, Deum non dedisse. Sed melior est prior expositio. Non enim Deus causa dubitationis & ambitionis erat, sed discipulorum vitiositas tarditasque.

Syrus addit, non posse hominem accipere quidquam *בְּכִין לַאֲנֹן* Men Zebuth naphshech, ex voluntate animæ suæ. Hoc est electione propitij arbitrij, non enim humanæ industriæ est venire, miracula facere, sed muneris diuini. Hæc autem verba cum in Latinis, & Græcis codicibus non sint, ex glossæmate inserta non dubito.

VERSVS 29.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

QVÆSTIO I.

Quo similitudo sponsi pertineat?

§. 1. Sponsus est cuius honori omnes seruiunt, & propter quem ad nuptias veniunt. Christum esse sponsum Ecclesiæ ad quem omnes conflunt, ad quem & ipsos suos discipulos ire desiderat, se amicū sponsi duntaxat esse. Gaudio gaudere ad vocem sponsi, Syrus gaudio magno gaudere, ita sane fuit, gaudium enim suum dicit impletum.

Sponsi similitudo etiam eo facit, vt ostendat, soli Christo adhaerendum, eius sponsas esse animas fidelium, ceteros amicos sponsi esse, quos ille ad nuptias inuitat, vt coniugium honorent, non vt sponsam illis prostituat.

§. 2. Bullingerus furiose oppugnat Romani Pontificis primatum ex eo, quod Ioannes se sponsum negarit. Monstrum esse ait eam Ecclesiam, quale illud Horatianum.

cum

Humano capiti ceruicem pictor equinam Iungeret.

At vero non Petrus ipse, non Pontifex vllus sponsum Ecclesiæ se dixit, sed vicarium, & administratorem Ecclesiæ visibilis, in hac terra pugnantis; amicum sponsi. Quod si sponsi interdum nomine in spiritualibus vtuntur, aliud nihil nisi amorem & curam indicant.

VERSVS 30.

Illum oportet crescere, me autem minui.

QVÆSTIO I.

Quomodo Ioannem minui, Christum crescere oportet?

Ioannes minuitur.

§. 1. Allegoricæ interpretationes sunt: Ioannem capitis abscissione minutum Christum in cruce extensum. Ioannem se minuisse fatendo peccatorem, Christum creuisse summa innocentia. Alij sic factum opinione hominum. Quæ omnia omitto. Nam verum incrementum Christi decrementum sui viri Sanctus intelligit, quod non in eo consistebat, vt Ioannis Sanctitas, vel hominum de illo opinio minueretur, hæc enim aucta sunt, sed cum magna turba ad Ioannem confluere soleret, Christo docente, ad eum venirent, Ioanne deserto, vt quos ipse ad Christum mitteret, crescebat igitur familia Christi, decrecebat Ioannis. Hoc quod vrebat discipulos Ioannis, vt clamarent: *Omnes veniunt ad illum*. Suam solitudinem cum frequentia gloriaque Christi inuidiose comparantes. Ioannes respondet: sic a Deo ordinatum esse, vt ille crescat, populoque trahat, ipse vero Ioannes minuat, et tandem in carcerem compingatur.

Crescendi autem verbo de gloria & frequentia & profani, & sacri scriptores vtuntur, vt Genes. 26, vers. 3.

VERSVS 31.

Qui de sursum venit super omnes est, qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de calo venit super omnes est.

Z 4 QVÆSTIO

## QVÆSTIO I.

*Quid sit de sursum esse?*

§. 1. **N**on modo Christum esse maiorem se, nec cū illo de gloria contendendum denunciat. Sed super omnes esse, nullum esse illi parem, quod de sursum sit. De sursum non est, quod ex cœlesti aliqua materia factum sit, vt Ariani blasphemant, est enim ex Maria natus. Sed duas ob causas de sursum esse dicitur. Primum quia origo illius non terrena, sed ex Spiritu sancto conceptus, & de virgine natiuitas.

Deinde de sursum est ex patris æterni substantia, vt Cyrillus Alexandrinus interpretatur.

§. 2. Porro generaliter intelligendum est, quod dicitur *ἐκ τῆς οὐρανῶν*. Supra omnes etiam angelos, qui etiam de sursum sunt, sed alio modo ministri, alio filius vnigenitus. Christi enim mundus proprius erat, vt Cyrillus habet.

## QVÆSTIO II.

*Quomodo Ioannes de terra?*

§. 1. **I**oannes originem suam Christi generationi opponit, se esse ex terra, cœterorum more hominum conceptum, & natum, ideo se constare etiam materia vitiosa, terrena. Christum de Cœlo esse, origine alia nihil in eius natura terrene se. is admittit: et si enim corpus eius terrenum fuit, omni tamen inordinatione & vitio caruit.

Non tamen hoc doctrinæ auctoritatem imminuit, hanc enim à Deo habuit gratiæ, cœlesti debiturus quicquid habuit, aut potuit.

§. 2. Hoc vero magnopere obseruandum est; Ioannem non locutum de terra, quasi materia concionum eius terrena fuerit. Sed quia homo terrenus vt dictum ex terra locutus sit; dicitur enim *ἐκ τῆς γῆς* Ex terra, non *ἐκ τῆς γῆς*, quam super re terrena sermonem faceret.

## VERSUS 33.

*Qui accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est.*

## QVÆSTIO I.

*Quomodo is, qui accipit testimonium, signauit, quia Deus est verax?*

§. 1. **Q**uid Dei nomine significetur, controuersum est. Ariani Deum Patrem dicebant hoc loco intelligi, quos contra Cyrillus disputat, ostenditque Christum hic Deum nominari. Quod tamen ex hoc loco non nimis firmiter probatur, cum in probatione propositionis, Deus Patrem significet. Verba sunt: *Quem enim misit Deus verba Dei loquitur: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

§. 2. Caluinus tamen lib. 3. instit. cap. 2. Dei vicinitatem, ait, à credentibus ob signari. *Qua ratione obedientia vocatur fidei, cui nullum aliud obsequium præfert Dominus, & merito, quando illi sua veritate nihil est preciosius: quam à credentibus, quasi subscriptione facta, ob signari, Ioannes Baptista est testis. Verum dicitur apostolus dicit: Credentes ob signate, quod Deus verax sit, non autem eos ob signati, vt dicitur hoc est, sigillo oppresso si-*

gnauit. Syriacè *ܕܡܚܘܒܐܡ* quod est signare, claudere, concludere.

## VERSUS 34.

*Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

## QVÆSTIO I.

*Quid sit dare spiritum ad mensuram?*

§. 1. **N**egat Ioannes Christo spiritum datum ad mensuram. Chryost. Cyrillus August. ad *sursum* dunt, huic, quod nunc abest. Ex eo vero probatur eum non esse loqui verba Dei, quia non dedit illi Deus spiritum ad mensuram. Totum enim spiritum habet, Deus, & Homo. Ideo nunquam aliud nisi Dei verba profere potest, at cœteri quibus est datus Spiritus ad mensuram aliquando sua, non Dei verba loquitur. At Christus ita vera, firma, certa loquitur, vt personæ Christi ius repugnet, quicquam falso loqui. Est enim inimpugnabilis.

§. 2. Vbiquitarij hunc locum vident; Non dat ex mensura Deus Christo Spiritum, ergo infinitum, ergo humanitas Christi habet infinitam sapientiam, ergo potentiam immensitatem.

Respondet Beza, non dici infinitum dare spiritum, non ad mensuram, sed totum. Sed videntur illi. Totum hoc infinitum est. Spiritus Dei infinitus est. Deinde si finitum est, quod datur, ad mensuram ergo definitum est. Alia igitur ratione occurrendum est. Totum infinitum, ipsam diuinitatem esse communicatam humanitati per assumptionem ad eandem hypostasin. Atque hac ratione infinitam dignitatem sortitus est Homo, vt Deus diceretur.

Deinde dona gratiæ, sapientiæ, aliæque omnia finita fuerunt, sed talia, vt de hominibus omnia darentur. Maxima dedit, multo maiora quam totus mundus habeat, finita tamen, quæ omnem mensuram contineat, ideo sine mensura. Sic *quæres* dicuntur, non quæ simpliciter sunt infinita, sed magna, excedentia *in uisum*, vel etiam *in uisum*, mediocritatem. Quomodo gratia vitionis sit infinita, & merita Christi precij infinita, scientia etiam infinita, opera enim æstimatione morali infiniti valoris fuerunt, scientia sua perceperit infinita alio loco ostendi.

## VERSUS 35.

*Pater diligit filium & omnia dedit in manu eius.*

## QVÆSTIO I.

*Quomodo omnia dedit pater in manu filij?*

§. 1. **M**illum filium dixit, non seruum, ideo datum omnia illi spiritum non ad mensuram: *in uisum*, ex data filio certa & definita mensura. Seruis demensum datur, & peculium cuique relinquitur, filius totius hereditatis est particeps.

Pater vero dirigendo filium omnia dedit in manus eius, idque generando filium Deum, æqualem sibi, vt August. Deinde filium hominem diligit, illi etiam

etiam omnia in manus dedit. Nonnulli interpretantur, per manus eius: quae phrasis est Hebraea, & hic habetur בידאובי בידאובי, in manus eius. quod tamen plerique improbant, idcirco, quod ait בידאובי, cum det quotidie. Verum potest intelligi haec per manum filij omnia data, multo magis in posterum danda.

VERSVS 36.

*Qui credit in Filium habet vitam aeternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

QVÆSTIO I.

An omnis qui credit in filium habeat vitam aeternam?

§. 1. **G**enerali sententia disputationem concludit Christus. Cum pater omnia filio dederit, eos qui in illum credunt habere vitam aeternam, qui non credunt, manere iram Dei super eos.

*Fidei datur vita aeterna.*

Habent vitam aeternam qui Christum habent, qui est vita aeterna. Deinde ius habet ad vitam aeternam, iam quasi possessione inchoata, spe enim salutis factus est. Syrus dubijs verbis hoc loco vsus est. Primo dicit דאמחאמאן דאמחאמאן, qui credit, paulo post autem: דאמחאמאן דאמחאמאן, qui non est satisfactus de filio. seu, qui non acquiescit in filio, non contentus filio.

§. 2. Ira Dei manet, nam reuera filij iræ sunt, nec nisi per fidem efficiuntur filij. Itaque non de integro venit, sed manet vetus ira, & manet in omnem aeternitatem.

C A P V T I V.

**T** ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisei quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, 2. (Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) 3. Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galileam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in civitatem Samarie, quæ dicitur Sichar: iuxta pradium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (8. Discipuli enim eius abierant in civitatem ut cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me potus, quæ sum mulier Samaritana? non enim contuntur Iudæi Samaritanis. 10. Respondit Iesus, & dixit ei. Si scires domum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? 13. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. 14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam aeternam. 15. Dicit ad eum mulier. Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei Iesus. Vade, voca virum tuum, & veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit. Non habeo virum. Dicit ei Iesus. Bene dixisti, quia non habeo virum. 18. Quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier. Domine, video quia propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Iesus. Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitur Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. 23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales querit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier. Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Iesus. Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid queris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus. 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci, nunquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicens: Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 3. Dicebant ergo discipuli ad invicem. Numquid aliquis attulit ei manducare? 4. Dicit eis Iesus. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. 5. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia alba sunt iam ad messem. 6. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam aeternam: ut, & qui seminatur, simul gaudeat, & qui metit. 7. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminatur: & alius est qui metit. 8. Ego misi vos, metere, quod vos non laborastis: alij laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. 9. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quaecumque feci. 10. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 11. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. 12. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi. 13. Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galileam. 14. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. 15. Cum ergo venisset in Galileam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. 16. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam